




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
16 F
12





DE
ANIMA BRUTORUM

AVCTORE

ANDREA SPAGNIO

FLORENTINO SACERDOTE

Commentarius ſecundis curis auctus & expolitus.



ROMÆ MDCCLXXXVI.

TYPIS ARCHANGELI CASALETTI.

SUPERIORUM PERMISSU.




ANGELO · SANCTO

CUSTODI · ET · SOSPITATORI
ANDREAS . SPAGNIUS
PRO . IMMORTALIBUS . BENEFICIIS
HONOREM · HABENS
QUICQUID . HOC . LIBELLI · EST
SECUNDIS . COMPTUM . CURIS . ET . AUCTUM
LAETUS . LIBENS . DEDICAT
IDEM . QUE . PRECATUR . UTI . SIT . SEMPER
VOLENS . PROPITIUS . SIBI
REBUS . QUE . SUIS







j

ANDREAS SPAGNIUS
LECTORI S. D.

DIversæ circa animam brutorum sunt opiniones. Ex his aliquas commemorans Auctor anonymus Gallici Opusculi, de Natura animæ brutorum, de quo loquuntur Trevoltiani ad annum 1760 (1), nullam censuit esse tolerabilem, iidemque alibi jam pronunciaverant, (2) *profiteri nostram in hac re ignorantiam esse consilium omnium fortasse optimum*. Idem quasi per eadem verba consulit Ludovicus Coltellinius iis, quos *neque metaphysica, neque morales rationes convincant bruta non esse nisi machinas*, sic ille finem imponit annotationibus, quas addidit poeticis epistolis *de anima brutorum* Ludovici Racine Parisiis nati anno 1692 ex Joanne celeberrimo tragico, quas ille anno 1752. a Parnasso gallico ad italicum delatas typis promulgavit Aretinis. Ejusdem opinionis sunt Alphonsus Nicolai (3), Noghera (4), & Guerius (5) in gallica *historia critica de anima brutorum*, quæ prostat etiam in italicam linguam conversa, quamvis Freron illam nullius pretii esse ostenderit in suis literis, de quibusdam hujus ætatis scriptis (6) eamdemque plane pessum dederit Abbas de Porta in suis *observationibus circa recentem literaturam* (7) gallice scriptis At aliorum judicio non possunt omnes in hac re propositæ sententiæ eodem loco haberi, & aliquas dicunt esse aliis minus absurdas & unam contendunt esse omnino veram. Hoc judicium rectissimum esse ostendo hoc commentario, quod tibi Lector benevole iterum exhibeo multis auctum accessionibus, & opportunius digestum, prout ordo quem statim subjicio, declarabit, in quo occurret etiam propositio negans brutis cognitionem cujusvis pulchritudinis, quam accuratius pertractatam huc tamquam in locum ipsi magis convenientem transtuli ex mea *de pulcbro* dissertatione Romæ iterum impressa anno 1776. Vale,

IM-

(1) Trev. an. 1760. art. 71.
(2) Ibid. an. 1751. art. 79. p. 1563.
(3) Ni. Ragion. su la relig. vol. 3. pag. 74.
(4) No. Rifl. su la nat. uman. 10.
(5) Gu. Anim. delle bestie.
(6) Fr. to. 4. Lett. 8. 1750.
(7) Po. vol. 2. ann. 1752.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo P. Sacri Palatii Apost. Magistro.

Franciscus Xaverius Passeri
pro Vicesgerens:

APPROBATIO

Commentarium *de Anima Brutorum cl. Andreæ Spagnii* decem ab hinc annis laudavi, cum mihi propositum fuit ut viderem si quid esset quod ejus impressioni obstaret, cum jam pro nova iterum mihi Rmus Pater Magister S. P. A. mandaverit observare si quid accesserit quod illam impediat, equidem dico nihil omnino hujusmodi a me deprehensum & primas laudes augeo, quoniam factæ in eo accessiones & mutationes pertinent ad eruditionem & meliorem rerum quæ in prima erant dispositionem.
Romæ ex ædibus Parochiæ Apostolicæ Quirinalis apud SS. Vincentium & Anastasium in Trivio IV. Idus Septembris anni 1785.

Thomas Gabrini C. M. Ex Provincialis,
Lector emeritus, & Parochus ejusdem Ecclesiæ.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Maria Mamachius Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

ORDO

ORDO OPERIS

PROPOSITIO I. BRuta habent animam, nec sunt meræ machinæ.

ARTI. I. *De aliquibus adversantibus propositioni.* pag. 1
ARTI. II. *De Cartesio & Cartesianis adversantibus propositioni.* 3
ARTI. III. *Argumenta pro propositione ex auctoritate.* 8
ARTI. IIII. *Argumenta a structura brutorum.* 11
ARTI. V. *Argumenta a motibus brutorum.* 14
ARTI. VI. *Argumentum ex loquela brutorum.* 18
ARTI. VII. *Argumentum ab absurdis corollariis sententiæ Cartesianæ.* 24
ARTI. VIII. *Objectiones ex machinis hominum.* 27
ARTI. IX. *Objectiones ex uniformitate in brutorum operibus.* 31
ARTI. X. *Objectiones ex aliis rationibus.* 34

PROPOSITIO II. Anima brutorum non consistit in materia tenuissima.

ARTI. I. *De adversantibus propositioni.* 39
ARTI. II. *Argumenta pro propositione.* 42

PROPOSITIO III. Anima brutorum non est forma substantialis materialis in sensu peripateticorum.

ARTI. I. *Declaratio propositionis.* 45
ARTI. II. *Argumenta pro propositione.* 49
ARTI. III. *Objectiones.* 55

PROPOSITIO IIII. Anima brutorum dici potest substantia in aliquo vero sensu spiritualis.

ARTI. I. *Declaratio propositionis.* 61
ARTI. II. *Argumentum ab auctoritate Sacræ Scripturæ.* 66
ARTI. III. *Argumentum ab auctoritate Patrum & S. Thomæ.* 68
ARTI. IIII. *Argumentum ex auctoritate Doctorum.* 71
ARTI. V. *Argumenta a ratione.* 74
ARTI. VI. *Objectiones ex auctoritate.* 78
ARTI. VII. *Obiectio a brutis per eorum sectionem multiplicatis.* 80
ARTI. VIII. *Obiectiones ex aliis rationibus.* 83

PROPOSITIO V. Animas brutorum non esse immortales revelatum non est, nec demonstratum.

ARTI. I. *Declaratio propositionis.* 86
ARTI. II. *Argumentum pro nulla de mortalitate animæ brutorum revelatione.* 89

ARTI. III. *Argumenta pro nulla de mortalitate animæ brutorum demonstratione.* 91

PROPOSITIO VI. Ex negata immortalitate animæ brutorum non infertur negari eam posse etiam animæ hominum, quia hujus immortalitas divinitus revelata est, & habet pro se multas rationes sibi proprias.

ARTI. I. *Revelationes de immortalitate animæ hominum.* 96

ARTI. II. *Argumenta pro immortalitate animæ hominum ex ea vi cognoscendi, quæ ipsis data est & non brutis.* 101

ARTI. III. *Argumenta pro immortalitate animæ hominum ex hujus persuasione ipsis insita & non brutis.* 105

ARTI. IIII. *Argumenta pro immortalitate animæ hominum ex conscientia illis data & non brutis de bonis vel malis actionibus.* 106

ARTI. V. *Argumentum pro immortalitate hominum ex communi consensu.* 111

ARTI. VI. *Obiectiones contra argumentum pro immortalitate animæ rationalis ex revelatione.* 113

ARTI. VII. *Obiectiones contra argumentum pro immortalitate animæ rationalis ex ratione.* 126

PROPOSITIO VII. Anima brutorum non est ordinis superioris anima hominis.

ARTI. I. *De adversantibus propositioni.* 121

ARTI. II. *Argumenta pro propositione.* 125

ARTI. III. *Obiectiones generales.* 127

ARTI. IIII. *Obiectiones pro animis brutorum constitutis in Dæmoniis.* 132

PROPOSITIO VIII. Anima brutorum est ordinis inferioris anima hominis.

ARTI. I. *De antiquioribus propositionis adversariis.* 135

ARTI. II. *De recentioribus propositionis adversariis.* 138

ARTI. III. *Argumenta generalia pro propositione.* 142

ARTI. IIII. *Argumenta particularia contra Helvetium.* 146

PROPOSITIO IX. Anima brutorum non habet intellectum.

ARTI. I. *Argumenta pro propositione.* 151

ARTI. II. *Obiectiones contra argumentum ab auctoritate.* 157

ARTI. III. *Obiectio ex brutis operantibus propter finem.* 159

ARTI. IIII. *Obiectiones ex docilitate, scientia & arte brutorum.* 161


ARTI. V. *Obiectio ex observatis in brutis ratiociniis.* 165

ARTI. VI. *Aliæ obiectiones contra argumenta a ratione.* 168

PROPOSITIO X. Anima brutorum caret libertate a necessitate.

AR-

ARTI. I. *Argumenta pro propositione.* 217
ARTI. II. *Obiectiones.* 175
PROPOSITIO XI. Anima brutorum nullam cognoſcit pulchritudinem. 179
PROPOSITIO XII. Anima brutorum habet vim apprehendendi imaginandi, iudicandi, diſcurrendi, appetendi & recordandi limitatam ad obiecta ſenſibilia, quæ referuntur ad ipſorum victum, propagationem ſpeciei, defenſionem prolis, & vitæ conſervationem.
ARTI. I. *Argumentum ex auctoritate Sacræ Scripturæ.* 183
ARTI. II. *Argumentum ex auctoritate Patrum & Theologorum.* 186
ARTI. III. *Argumentum ex auctoritate philoſophorum.* 188
ARTI. IIII. *Argumenta a ratione.* 194
ARTI. V. *Argumentum ex operationibus brutorum maiorum.* 197
ARTI. VI. *Argumentum ex operationibus avium & inſectorum.* 201
ARTI. VII. *Argumenta pro memoria brutorum.* 204
ARTI. VIII. *Obiectiones.* 207
PROPOSITIO XIII. Inſtinctus brutorum eſt determinatio indita ipſorum animæ ad utendum expedite organis ſibi datis certo modo pro certis ſenſationibus, quibus afficiantur. 211



DE
ANIMA BRUTORUM
AUCTORE
ANDREA SPAGNIO



Propositio Prima.

Bruta habent animam, nec sunt meræ machinæ.

Articulus Primus.

De aliquibus adversantibus propositioni.



1. IN propositione assumitur ânima juxta notionem communem pro principio agendi ipsis brutis intrinseco. Ea autem est I. contra Ludovicum Barbieri, qui in suo italice scripto *Novo systemate de anima brutorum*, quod impugnat Auctor Historiæ Literariæ Italiæ (1) statuit brutorum motus omnes & operationes fieri immediate a Deo solo ea determinata ratione, qua ipse omnia etiam absolute possibilia intelligens videt fore, ut fierent a quadam animæ spiritualis specie, quæ remanet in numero rerum possibilium, quia actu hujusmodi animæ speciem non creavit. Placet statim ab hoc adversario propositionem liberare, quia unicus fortasse est, nisi quis velit ipsi coniungere impium Auctorem *dictionarii Philosophici portatilis*, cujus est hæc in articulo *Bestiæ* propositio, *Deus est anima brutorum*. Sic itaque arguo. Data absoluta possibilitate animæ in brutis de genere substantiæ spiritualis, quæ sit caussa eorum, quæ ipsa agunt, dici nequit illam reipsa non existere; Hoc enim esset negare ullam inesse vim argumentationi inferenti ex effectibus caussam, quæ vulgo habetur tamquam ipsius demonstratio: ergo cum detur possibilis hæc in brutis anima, quæ sit caussa eorum, quæ ipsa agunt, negari nequit eam reapse existere.

2. Præterea dicam cum Bergierio (2). In sententia, quæ Deum quovis

A

(1) Sto. Lett. vol. 3. l. 1. c. 8. §. 6. (2) Be. Apolog. p. 4. Refut. du dict.

vis modo facit unicum & proximum principium operationum brutorum, jam Deus est qui in cane leporem insectatur, qui in lupo agnum devorat, qui per philomelam canit, per bovem mugit: sed hac absurde dicuntur, & a bonis philosophis reprehensa semper sunt in iis, qui Deum ex machina inducunt in physicis: ergo. Alia argumenta contra ipsum minus quidem directa, sed non minus efficacia, sunt omnia illa, quæ deinceps afferentur non solum pro anima in brutis existenti, sed etiam pro quibusdam ipsius determinatis attributis.

3. II. Est contra illos, de quibus sic habet S. Augustinus, (1) *Quod tibi visum est, non esse animam in corpore viventis animantis, quamquam videatur absurdum, non tamen doctissimi homines, quibus id placuit defuerunt, neque nunc arbitror deesse*. In quæ verba observat Benedictus Plazza (2) proprie hic S. Doctorem docere, quod essent, qui negabant animas esse in viventibus per intimam unionem, seu ut aiunt per informationem, non vero docere quod fuerint, qui animas viventibus absolute negaverint. Potuit tamen S. Doctor etiam de his loqui, quandoquidem pro hac opinione, quam impugnamus dicuntur meminisse Aristoteles, & quidem non semel (3), & Plutarchus (4), & Seneca (5).

4. Pro eadem produci etiam potest Pherecrates, qui iuxta Ciceronem docuit (6), *neque in homine inesse animum vel animam, nec in bestia*. De eadem meminit Pierius, qui antequam Cartesius scriberet, eos impugnavit, (7) *qui animalia rationis expertia, nullo neque voluptatis, neque irascentiæ, neque cupiditatis sensu affici contendunt: neque quidem dicendum asserunt leonem audentem animosumque esse, neque quidem cervum pavidum, sed quodam modo pavidum, illumque quodammodo animosum, atque ut semel dicam, ea non omnino vivere, sed quodammodo vivere*: meminit etiam Franciscus Suarez, qui ait, (8) *in errorem inciderunt, negantes bruta quicquam vere cognoscere, aut appetere appetitu elicito. Hoc absurdum est, & contra evidentem experientiam, imo & contra Scripturam*. At Gometius Pereira primus fuit, qui ante Cartesium operose propugnavit in brutis non esse nisi purum artificium organorum materialium, quibus Deus creator sapientissimus ipsorum machinam composuit.

5. III. Igitur est contra hunc hispanum auctorem qui hujusmodi opinionem contentis viribus tueri conatus est ab ipso initio operis, quod Methymnæ Campi anno 1554. magnifice edidit, & *Antonianam Margaritam* inscripsit, propterea quod Antonius vocabatur pater, & Margarita ipsius mater. Opus est in quarto, ut ajunt, molis non exiguæ, sed ut opinor

(1) Au. de quant. ani. c. 10.
(2) Pl. de lit. scrip. sensu c. 8.
(3) Ar. de anim. motu. c. 7. & de gen. anim l. 2. c. 1.
(4) Pl. de plac. l. 7. c. 20.
(5) Se. de Ira l. 1. c. 3.
(6) Ci. Tusc l. 1. n. 21.
(7) Pi. de sacris Aegyp l. 12.
(8) Su. Metaph. di. 23. sec. 10. n. 1.

opinor nullam aliam editionem habuit præter hanc ; Nam maxime rarum est. Quamobrem mirum non est ipsum penitus ignotum fuisse Henrico Moro, quoniam dixit, (1) *Solus, quod sciio inter Physiologos extitit Cartesius, qui animas materia exortas e philosophia sustulit* : & notum solum de auditu, seu de nomine fuisse tum Auctori libelli gallici *de Anima brutorum*, qui designatur per literas A. D in editione Amstelodamensi an. 1691, quandoquidem in præfatione dicit, *Auctorem Hispanum breviter & confuse proposuisse præterito sæculo* opinionem de Brutis meris automatis ; tum Yvoni, qui simili contemptu de illo nominatim loquitur (2). Hoc enim vero certum est per integrum & amplius sæculum, scilicet usque ad Cartesium nullum invenisse alicujus nominis sectatorem, & ne impugnatorem quidem, *adeo* inquit Calmet (3) *incuriosis oculis lecta est lucubratio illa* (Antoniana margarita), *ut ne refutatione quidem digna censeretur*. Quin immo inter suos Hispanos ejus doctrina habita fuit tamquam delirium ; Sic enim de ea sentit Franciscus Vallesius, quem credo de Pereira loqui, ubi in suo libro, *de Sacra Philosophia*, cujus edendi privilegium a Rege Philippo II. ab eo impetratum signatur an. 1584, dicit. (4) *Quidam nostratium nuper ne brutis concederet rationem, sensum etiam abstulit, negavitque ulli præter hominem esse sensum, sed quæcumque sensu quodam agi viderentur, naturæ magis quam animæ esse opus*.

6. Summa interea doctrinæ Pereiræ hæc est. Distinguit tria motuum genera pro tribus corpotum generibus. Alter est motus corporum non organicorum, ut gravium descendentium, quem vocat motum naturalem : alter corporum animatorum, ut hominis, quem dicit motum voluntarium tertius est corporum organicorum, qualia sunt bruta, quem appellat motum vitalem, & bruta denominat vitalia moventia. Horum autem viventium motus dividit in quatuor quasi species : prima est eorum, qui fiunt a rebus præsentibus : secunda ab absentibus, sed quæ olim fuerunt præsentia : tertia a præhabita disciplina, quales sunt motus artificiosi in equis & canibus : quarta demum ab instinctu, quales sunt mellificatio, nidificatio, & similia. De singulis tamen eam dat explicationem ; quæ in hoc principium semper recidit, (5) *Bruta musculis quibusdam constructis & expansis loca mutant, ab objectis exterioribus, vel phantasmatibus tracta aut pulsa*. Porro phantasmata dicit (6) esse corpuscula spirituosa, quæ dum cerebri partem anteriorem afficiunt, compellunt corpus organicum, prout illi expedit ; aliter in posteriore parte cerebri asservantur. Siquid alicujus momenti pro opinione de brutis meris machinis alicubi hauriri possit, derivandum censeo ex hac primum Antoniana Margarita, & responsionibus ejusdem Auctoris ad objectiones Michaelis Palacios, quæ editæ

A 2 anno

(1) Mor. ep. 65. inter Cartes par. 1.
(2) Yv. in Encycl. ar Ame des Betes.
(3) Cal. Dict. S. Script. ar. Bestia.
(4) Val. cap. 55.
(5) Pe. Ant. Marg. §. Digestis ergo.
(6) Id. ibid. §. Præterea pag. 43.

anno insequenti 1555 habentur in fine ejusdem operis: & ex Ignatio Pardies in suo de cognitione brutorum opusculo, ubi in bono lumine collocat (1), quæ allata deinde sunt in hac re argumenta, quorum alia directa sunt, & pertinent ad objectiones hujus propositionis proprias, alia indirecta, quatenus animam cognoscentem a brutis excludunt, quæ ad aliam spectant propositionem.

7. IV. Est contra Buffonium, qui animam a materia distinctam negat brutis, quia ea in suis operationibus non præseferunt dubitationes neque consultationes, (2) *quod*, inquit, *satis est*, *ut concludamus eas esse effectus puri mechanismi*. At imprimis falsum est antecedens; Bruta enim, & ipsa insecta, ut aranei, qui ex venatu vivunt, & illa, quæ timido gressu accedunt ad id, quod apparentiam cibi habeat, & quæ odoratu iterum iterumque pertentant, quidquid manducent, contrarium quotidie docent, ita ut non defuerint, qui hinc intulerint ipsam animam brutorum esse rationalem: neque hæc consequentia aliter effugitur, quam revocando hujusmodi argumenta consultationis ad instinctum naturalem, hoc est determinationem ipsis inditam a Deo creatore operandi in quibusdam circumstantiis modo qui sapit consultationem. Deinde omisso antecedenti negatur consequentia, quia inter effectus pure mechanicos, & effectus ex anima rationali prodeuntes dantur illi, qui sunt ab anima prædita sola vi cognoscendi sensibilia, & hæc est, quæ in brutis admittitur. Quod Buffonius addat bruta sentire per organa sensuum exteriorum, & per organum sensus interni, quod dicit esse cerebrum, cui tribuit vim efficiendi actus desiderii & timoris, doloris & voluptatis, aliarumque affectionum, quæ solent tribui appetitui, dum simul negat vim cognoscendi, repugnat sane in terminis; Nam aliquid desiderare & timere, aut alio modo circa illud affici, numquam non supponit aliquam ejusdem præviam cognitionem. Præterea ideo sensum internum admittit, quia externos minime idoneos credit ad hujusmodi appetitiones: sed cum nihil in interno dicat esse nisi materiam, quemadmodum in externis, si hi expertes sunt vi appetendi, necesse est idem concludatur de internis. Omitto alia a Trevoltianis (3), & Condillaco (4) jam observata, quibus hoc systema male excogitatum esse demonstratur.

Ar-

(1) Par. Connois. des Bet. a n. 10.
(2) Buff. Hist. naturel to. 4.
(3) Tre. an. 1753. ar. 127.
(4) Con. Trait. des Animaux.

ARTICULUS II.

De Cartesio & Cartesianis adversantibus propositioni.

8. Cartesius merito inter præcipuos adversarios numeratur; Nam in dissertatione de Methodo, quam anno 1637. vulgavit, plaudit sibi, quod in nescio quo tractatu (1) *particulariter immoratus fuerit in ostendendo, si darentur ejusmodi machinæ*, scilicet automatariæ, quarum fabricam supra jactaverat se intelligere, *signa externa, organisque omnibus simiæ vel cuivis alteri bruto simillima, nulla nos ratione agnituros ipsas natura ab istis animantibus differre.* Ex quo semel admisso, cum videret aperiri aditum ad credendum vel concludendum homines ipsos esse meras machinas, quemadmodum cum Materialistis Mettrieus fecit in libro *de Homine Machina*, totus deinde est in proponendis argumentis, quibus *agnosceremus non propterea veros homines esse eas machinas, siquæ extarent, quæ nostrorum corporum imaginem referrent, nostrasque actiones, quantum moraliter fieri posset, imitarentur*: Dici tamen non potest hæc a Cartesio tunc dicta fuisse ex intima rei persuasione; In libro enim *de Passionibus*, quem in lucem edidit an. 1649 dicens (2) *bruta ratione carere, & forte omni cogitatione*, dubium in hac re se declarat: & in multis, quæ deinceps scriptitavit, ita loquitur, ut credi possit excludere a brutis animam dumtaxat rationalem. Est enim quædam ipsius epistola, in qua negat quidem brutis libertatem indifferentiæ, non tamen libertatem a coactione, quæ importat principium intrinsecum agendi, quod abest a pura machina, (3) *Inest*, inquit, *brutis mera tantum negatio coactionis.*

9. Observari etiam debet nunquam ipsum, quantum memini, dicere, quod bruta careant cognitione, & vi cognoscendi. sed mente, facultate cogitandi, & cogitatione, quæ vocabula non solum communiter dici solent de quibusdam animæ rationalis operationibus, sed juxta suum principium de essentia animæ sita in cogitatione, sunt synonima animæ rationalis. Præterea dum apud ipsum lego (4) se non habere pro demonstrato, quod bruta non cogitent, iterum venit in mentem ipsum admittere in brutis eas cogitationes, quæ versantur circa objecta dumtaxat sensibilia, quales apparent in canibus, dum prædam investigant, in felibus, dum mures venantur, in omnibus brutis, dum filios quærunt amissos. Quis enim non habeat pro demonstrato vel evidenti, bruta non cogitare de objectis spiritualibus? Ejusdem sunt etiam hæc in eadem epistola, *Nulli animalium denego sensum, quatenus ab organo corporeo dependet.*

(1) Car. de Meth. n. 5.
(2) Id. de pass. ar. 50.
(3) Id. Epist. par. 1. e p. 115.
(4) Id. Epi. pa. 1. ep. 67. ad Morum:

pendet, & in hac significatione benigne agendo accipiantur hæc alia, (1) *quia corporis brutorum organa a nostris valde diversa non sunt, conjicere licet aliquam esse cogitationem hisce organis adjunctam*. Ex quibus pronum est inferre ipsum admisisse in brutis vim cognoscendi sensibilia, cujus effectus est sentire, & in hoc tantum sensu, qui continet veram receptamque sententiam, quæ negat brutis animam rationalem, permitti eidem posset ea ipsius propositio, (2) *Majori admiratione dignum est, quod mens aliqua reperiatur in unoquoque humano corpore, quam quod nulla sit in ullis brutis*.

10. Hæc quæ dubitationem de mente Cartesii circa animam brutorum foverent, ipse tandem dissipavit, aperte aliis in locis affirmans bruta esse mera automata. In responsionibus ad objectiones quartas in suas Meditationes, *Concludere*, inquit, *cogimur nullum plane in brutis principium motus a nobis cognosci præter solam dispositionem organorum & continuum affluxum spirituum, qui a calore cordis sanguinem attenuantis producuntur*. Alibi hæc habet, (3) *Cum clare perspexerim animalium motus omnes oriri ab eo solum, quod corporeum est & mechanicum, pro certo ac demonstrato habui nullo pacto probari posse aliquam esse in brutis animam cogitantem*. Nec sit qui credat minus opportunum esse hoc testimonium, propterea quod utitur nomine animæ cogitantis; Nam ipse passim abutitur nomine cogitationis & mentis pro quavis cognitionis & animæ cognoscentis specie. De hoc ejusdem abusu luculentum argumentum est hæc ejusdem propositio, (4) *Vulgus vim sentiendi in brutis mereri animæ appellationem voluit, quia ignoravit bruta mente carere*, ubi mentis nomine venire animam credam, aliter nulla esset connexio in suis dictis, & falsum assumeret tribuens vulgo, quod ignoret bruta mente carere, cum ita de hoc persuasum semper fuerit, ut bruta & animalia irrationalia sive sine mente habeat pro synonimis.

11. Præterea cum quidam objiceret nihil esse incommodi in sententia, quæ tribuit brutis cognitiones rerum sensibilium, respondit hoc esse maximum incommodum, quod hujusmodi (5) *cognitiones brutorum ad Dei & Angelorum cognitionem magis, quam humana ratiocinatio accederent*. Tandem videns cæteros passim philosophos sententiam suam improbare, & contra se constanter tueri inesse brutis animam cognoscentem, hoc ipse adscripsit præjudicio, cui ab ineunte ætate assueverunt, quod qui deponant, non aliis dixit, quam (6) *pueris & ingeniis levioribus deridendos se præbere*. Sed quam inepte hæc dicat, æstimari jam nunc potest ex hac inconsiderata ipsius propositione, (7) *Omnes brutorum actiones his tantum simi-*

(1) Id. ibid. ep. 58.
(2) Car. Epist. par. 1. ep. 67. ad Morum sub finem.
(3) Id. Epist. par. 1. ep 67.
(4) Id. ibid. ep. 85.
(5) Id. Epi. pa. 2. ep. 8. n. 2.
(6) Id. Epist. pa. 2 ep. 2.
(7) Id. Resp. ad quartas object. p. 1.

ſimiles ſunt, quæ ſine ulla ope mentis (ſcilicet animæ, nam animæ nomen dixit ſe reſpuere tamquam æquivocum) *a nobis fiunt*. Numquid ex maturo conſilio quis dicat homines ſine ulla ope animæ manducare bibere vitare pericula, ab aggreſſoribus ſe tueri, aliaque facere, quæ ſimiliter fiunt a brutis?

12. Cum Carteſio paſſim ſentiunt Carteſiani, quorum tantus in hac falſitate propugnanda extitit conatus, ut id viſi ſint habere tanquam teſſeram Carteſianiſmi, quemadmodum ajunt Gabriel Daniel (1), & Guerius (2). Conſtantinus Grimaldi apud Jo. Bapt. de Benedictis (3) ex eo, quod Leonardus a Capna ſemel admiſerit aut ſuppoſuerit ſenſum in brutis, concluſit falſitatis vel mendacii reum eſſe Benedictum Aletinum, hoc eſt ipſum de Benedictis ſub eo nomine latitantem, dum Leonardum dixit Carteſianum. Quoniam multi ex Carteſianis deinceps occurrent, nominabo hic Antonium d' Illy d' Ambrun, qui ſcripſit gallice *tractatum de anima & cognitione brutorum*, & Darmanſonium, cujus citatur commentarius gallicus *Beſtia in machinam depreſſa*. Nec prætermittam, qui in hac quæſtione ſuſpenſos animo ſe produnt. In his eſt Boſſuetus ita opinionem de brutis ut meris automatis referens (4), ut eam falſam non pronunciet, ſed nihilominus dicit; (5) *videri melius eſſe tribuere brutis ſenſationes*, quas eſſe operationes, quæ a materia proficiſci nequeunt, profitetur. Nec officit, quod dixerit, (6) *nemo quod ſtiam ſenſationes appellavit operationes ſpirituales*; Loquitur enim in hypotheſi, quod ſpirituale & intellectuale ſint ſynonima. Eſt Card. Polignacus, qui (7) hunc Carteſianiſmum promovet quantum poteſt, quin tamen abſolute verum credat. Eſt Franciſcius (8), quem Trevoltiani dicunt (9) *non minus diffuſe, quam ſagaciter hoc ſyſtema explicaſſe*, etſi nihil circa illud ſtatuerit. Eſt Guillelmus Dagoumer Profeſſor Philoſophiæ in Univerſitate Pariſienſi, qui in ſua philoſophia edita Lugduni an. 1757, has duas propoſitiones propugnat: altera eſt, *Deus potuit & poteſt facere ut belluæ, quæ jam ſunt, non ſint niſi mera automata*: Altera, *Probabilius eſt belluas ſentire*.



AR-

(1) Da. Suite du Voyage du Monde.
(2) Gu. Anim. delle Beſt. vol. 2. c 4.
(3) Be. Difeſa dell' Ale. pa. 3. n. 2.
(4) Bos. Connoi de Dieu c. 5. n. 13.
(5) Id. ibid. num. 5.
(6) Id. ibid. num. 13.
(7) Polig. Antilucret. lib. 6.
(8) Fra. Defen. de la Relig. to. 1. c. 3.
(9) Tre. an. 1755. ar. 79. p. 1779.

ARTICULUS III.

Argumenta pro propositione ex auctoritate:

13 IMprimis sacra Scriptura & Patres passim apertis verbis tribuunt brutis animam viventem: ergo bruta habent animam, nec sunt meræ machinæ. Quoniam antecedens inferius opportuniori loco demonstrabitur, illud hic solum advertam, propter tam claras pro anima brutorum loqutiones S. Scripturæ, receptas communiter a Patribus in sensu obvio & vulgari, quem præseferunt, existimatum esse ab aliquibus, ut Jo. Baptista de Benedictis tum in suis epistolis Apologeticis sub nomine Aletini editis (1), tum in defensione pro Aletino, quam deinde protulit (2), oppositam Cartesii opinionem dignam esse censura aliqua Theologica. Certe Suarez ex hac etiam caussa aperte damnat erroris (3) *negantes bruta quicquam vere cognoscere aut appetere appetitu elicito*.

14. Quod aliqui nolint ullum debere esse usum sacrarum literarum in quæstionibus philosophicis, quia ipsæ datæ sunt ad solam directionem morum, & instructionem mysteriorum, sunt omnino reprehendendi de novo errore. Quid enim hoc significat, nisi contemni posse, quæ in Scripturis habentur circa physicam, chronologiam, historiam naturalem vel civilem, geographiam, & omnem disciplinam, quæ non sit Theologia aut Ethica, quasi scriptum non sit (4) *omnem Scripturam divinitus inspiratam esse*: aut impietate vacet vel unum ex divinitus inspiratis haberi pro falso: aut admissa aliqua in illis falsitate, reliqua possint pro certis haberi. (5) *Admisso*, dixit jam S. Augustinus, *in tantum auctoritatis fastigium aliquo mendacio, nulla particula horum librorum manebit, quæ non possit in dubium revocari*.

15. Argumento ex S. Scriptura solum indicato, aliud jam prosequor. Bruta esse mera automata est contra communem sententiam tam doctorum, quam indoctorum & ipsorum etiam Cartesianorum, quid id confessi sunt, quoties obliti fuerunt dissimulandam sibi esse contrariam Cartesio persuasionem. Assumptum si revera constet, jam esset contra omnem philosophiam, ipsum post Cartesium cum Fortunato a Brixia negligere tamquam (6) *infantiæ præjudicio innixum*. Constare autem sic ostendo. Imprimis quod pertinet ad indoctos, testis est vulgus, quod insanire existimat illos, qui bruta esse meras machinas affirment & conentur suadere. Quod pertinet ad doctos, Yvon aggreditur articulum de Anima Brutorum

(1) Be. Let. apologet. 4: p. 223.
(2) Id. Difesa pa. 1. §. 7. n. 4.
(3) Su. Metaph. d. 23. se. 10. n. 3.
(4) 2. ad Timoth. cap. 3.
(5) Aug. Epist. ad Hier. olim 8.
(6) Br. Phys. partic. tr. 3. dis. 2. sec. 2. arg. 4.

torum in Encyclopædia profitens veteres philosophos unanimiter admisisse principium sentiendi, & cognoscendi in brutis. In his numerari debet clarissimus Atheniensium senatus, Areopagus, qui cum morte damnaverit puerum deprehensum oblectare se in eruendis avium oculis, non propter gravitatem sceleris, sed propter argumentum immanitatis nimis truculentæ, quæ in damnum reipublicæ olim potuisset redundare, jam certum reputavit animam brutis inesse; Immanitas enim locum non habet, nisi in ea, quæ cum credantur sentiente anima informata, crucientur. Huc spectant omnes, qui credunt animam brutorum esse spiritualem, de quibus infra dicam.

16. His addo S. Augustinum, (1) *Deus*, inquit, *animæ irrationali dedit memoriam, sensum, appetitum: rationali autem insuper mentem, intelligentiam, voluntatem*. Idem in quovis vermiculo admiratur animam a corpore ipsius distinctam, quæ (2) *illud vegetat, numerose movet, appetit convenientia, vincit aut cavet obsistentia quantum potest, & ad unum sensum incolumitatis refert omnia*. Idem quærens discrimen inter brutorum & hominum animas, hoc unicum reperit, (3) *quod ratio eorum animis non inest, ut subdantur nobis, inest autem nostris*. De omnibus tandem tam doctis, quam indoctis simul sumptis idem testatur pro suis temporibus, quod (4) *irrationabilia quoque animantia vivere atque sentire nemo ambigit*: idque confirmat celebris quæstio, de qua ipse S. Doctor sæpius meminit, de causa malorum, quibus bruta obnoxia sunt, cum nulla in illis culpa sit, & ne esse quidem possit.

17. Ex Philosophis minus antiquis qui ante Cartesium floruerunt, unus ab ejus tempore non multum remotus Suarez satis sit, qui ex dictis (n.4.) ait, negare brutis cognitionem & appetitum, *esse contra evidentem experientiam, immo & contra Scripturam*. Ex illis qui post Cartesianos de hac re scripserunt, Arnaldus quidem confitetur, (5) *paucissimos esse qui credant id, quod faciunt bruta, fieri quin illa cognoscant, per solas modificationes materiæ*, & de his Claudius Frassen post diligens rei examen dicit, (6) *oportet rationem & sensum omnem exuerint*. Bernerius vero censet (7) *hanc opinionem aptam esse ad reddendum Cartesii sæculum ridiculum apud posteros*: Et quoniam Auctor supra citatus A. D. hunc ejus timorem vanum esse dixit, quia tam certum credidit (8) brevi hunc Cartesianismum extra controversiam futurum, quam certum nunc est nullas esse qualitates sensiles in sensu Peripateticorum, vana ipsum auguratum esse plane ostendunt, quæ deinceps alii dixerunt, ut Gulielmus Kingius, qui eos dixit (9) *in plena luce cæcutire, qui brutis omnem sensum negavere*: & Ab-

B bas

(1) Aug. de Civi. l. 5. c. 11.
(2) Id. de Vera Relig. c. 41.
(3) Id. de lib. arbit. l. 1.
(4) Id. ibid. c. 29.
(5) Arn. Vraies & fausses idées c. 23. n. 9.
(6) Fra. Phil. de Ani. sensiti. ar. 1.
(7) Ber. Abregé de Gassendi par. 1.
(8) A. D. c. 25.
(9) King. de Orig. mali c. 5. sec. 1. subsec. 5. n. 2.

bas des Fontaines, qui hanc Cartesii opinionem appellavit (1) *mentis humanæ insigne delirium* : & Paulianus qui profitetur (2) *comprehendi non posse*, quomodo Physicus eam possit amplecti : & Nonnote, qui iterum iterumque censuit sentire in hoc cum Cartesio esse (3) jocose fabulari, non serio philosophari : & Florianus Dalham concludens suam pro nostra propositione argumentationem, (4) *Quis adeo cæcutiat, ut præter mechanismum non intueatur in brutis internum aliud movendi principium*; & Guerius, qui nominatim pessumdat citatum A. D (5), quem unum dicit ex præcipuis propugnatoribus hujus opinionis; & alii passim, qui illud Francisci Vallesii repetunt, procederet dubitatio nostra (6) *usque ad insaniam, si quæ cernimus bruta intuitus quarumdam rerum perterrita fugere, rursum quibusdam allici, pulsata vociferari, amicitiæ & inimicitiæ leges observare, sensum ullum habere negaverimus*.

18. Tandem quod pertinet ad Cartesianos, qui cum primum remittunt aliquid de violento conatu, quo non dicam ex voluntaria insania, sed ex præpostero consilio resistendi evidentiæ, oppositum tueri contendunt, statim manifestant se de communi sententia penitus persuasos, eique studio partium dumtaxat contradicere. Exempla protulimus supra (§. 9.) in Cartesio, qui inconstans est in suis dictis, alia occurrent in aliis decursu dissertationis. De Antonio le Grand observavit Benedictus Aletinus (7) ipsum eodem in libro, quo bruta nihil sentire infeliciter propugnat, dicere Epicureos auctores beatitudinis sitæ in voluptatibus corporeis facile de suo errore se ipsos convincere posse, *si attendant se pecoribus æquiparare, & nihilo præstantiorem illis sortem contigisse, quam quæ porcis & ovibus assignatur*. Iidem, quando etiam memores sui Cartesianismi in ejus tuitione defixi maneant, non negabunt, si sinceri sint, contrarium assensum a se extorqueri, dum siquem habeant secum canem sibi carum, qui ad se accurrat gemens & ululans propter receptos ictus aut morsus in rixa, commoveri se sentiunt affectu commiserationis, vel alio certe modo, ac afficiantur a damno recepto in horologio aut curru aut alia artificiosa machina maximi ab ipsis æstimata : ergo necessario & etiam inviti omnes homines rapiuntur ad judicandum bruta non esse meras machinas.



A Re-

(1) Fo. Lett. 128.
(2) Pa. Diz. di Fisic. ar. animali ediz. 2.
(3) No. Erreu. de Voltai. to 2. c. 27. ar. 2. & Dicti. ar. 1. Betes.
(4) Dal Psychol. §. 154.
(5) Gu. Anim. delle Best. vol. 2. c. 4.
(6) Val. Sacr. Philos. c. 55.
(7) Al. Lett. Apol. 4. pag. 231.

Articulus IV.

Argumenta a structura brutorum.

19. Arguitur cum Card. Pallavicino S. I. (1), Claudio Frassen (2), Jo. Hieronymo Sbaraglio (3), Nonnote (4), Massario (5), & aliis. Bruta perfectiora, ut equi, boves, canes, & qnadrupedes generatim habent structuram corporis præditam quinque sensoriis organis, in quibus manifesta est similitudo cum iis quæ sunt in homine: Ex his cerebrum, quod in nobis est præcipuum instrumentum cognitionum, quas sibi anima nostra efficit, & juxta Cartesium sedes ipsa animæ, distinguitur iisdem partibus, ac in nostro sunt. Videas ibi pariter sizygias nervorum per medullam oblongatam ascendentium, medullam globosam, corticem, ventriculos, cerebellum, processus vermiformes, corpora striata, glandulam pinealem, & alia, quæ Anatomici inveniunt in homine; Sed hæc in homine sunt propter sensationes, & eas animæ operationes, ad quas sensationes sunt ordinatæ, ut ad cibum & potum, ad conservationem compositi, ad accessum ad utilia, ad fugam a noxiis, ad defensionem ab inimicis: ergo etiam in brutis ea structura est propter similes sensationes, & operationes ab iis immediate dependentes.

20. Consequentia urgetur, quia ideo credimus alios homines habere animam, quæ pari nobiscum modo sentiat, quia cum habeant similia nobis organa, non possumus aliter existimare sine manifesta in Auctorem naturæ contumelia, quod nobis perpetuo illudat, data aliis sola eorumdem actuum apparentia: ergo idem credendum de brutis ex eadem caussa (6). *Si*; inquit Duhamelius, *oculi animantibus, non visus: nervi & membranæ, non tactus: gustus, non voluptas ulla, non appetitus, non spontaneus motus est concessus, ab Auctore naturæ in errorem quodammodo inducimur, cum aliter nobis ex iis, quæ videmus, judicare non liceat.* Hoc argumento desumpto ex organis, quæ in brutis sunt, & operationibus, quas per ea videmus fieri iis similes, quæ a nobis non fiunt sine cognitione, credit citatus Pallavicinus adversarios convinci erroris, & quidem turpissimi; Nam quodait Storchenaus, (7) *sicut ex similibus effectibus eadem caussa efficiens: ita ex similibus mediis eadem caussa finalis recte colligitur*, est quoddam de rebus naturalibus philosophandi principium, quo ipsi iidem in hac solum re uti recusant.

21. Hujus argumenti pondus sensit Cartesius, qui sæpius eo meminit, nec

(1) Pa. in 1. 2. di. 2. q. 1. ar. 2.
(2) Fr. Phi. de ani. sens ar. 1.
(3) Sb. Ani. brut. di. 1. c. 1. se. 3. & c. 2. se. 1.
(4) No. Dict. ar. Betes.
(5) Ma. Reli. nat. n. 207.
(6) Du. de Corp. anim. 3. c. 1. §. 12.
(7) St. Psycholog. n. 267.

nec aliter credit posse se ab eo liberari, quam vel (1) dicendo, inverisimile esse animas brutorum esse immortales, putans ex spiritualitate inferri necessario immortalitatem, quod est falsum, ut inferius ostendam: vel dicendo, quod hæc non intelligamus (2) *esse rationem maxime obviam, quæ mentes omnium hominum a prima ætate occupavit*, in vim igitur præjudicii, quod nos obcræcavit, refundit hanc nostram ignorantiam, in quo nulla exhibetur solutio, sed vitiosa principii petitio. Quare oppressum dicere possumus Cartesium hoc argumento, cui deinde succubuit etiam Malebranchius, qui ubi ex professo contendit suadere corpora non moveri nisi a Deo, nec ullum corpus moveri ab ullo corpore, sed Deum esse unicam hujus caussam, dicit (3) *edere crescere clamare currere saltare*, aliosque animalium motus esse non jam a Deo, sed a materia subtili, *non perfectiori ea, quæ minorum horologiorum organa movet, aut quæ in meliorum horologiorum ponderibus gravitatem efficit*, addens, *si id necesse esset, principium vitæ canis non admodum differre a principio motus horologii bic probarem*. Quæ est ostentatio digna homine, qui dum sibi contradicit tribuens materiæ subtili motum corporum, quem dixerat fieri a solo Deo, plane ostendit se nescire quid dicat.

22. Factum argumentum sic etiam cum Yvone (4) exornatur ac promovetur. Quævis machina habet causam aliquam finalem ab ipsa distinctam, quam motus vel effectus, qui ex his proxime sequantur, manifestant: Sed brutorum corpora sunt machinæ, quarum motus & effectus, qui ex his proxime sequuntur, manifestant caussam finalem esse animam ab ipsis corporibus distinctam; ergo brutorum corpora habent hanc animam. Majorem suadet inductio percurrens omnes machinas artificio humano aut divino constructas. Nonne caussa finalis in horologiis est accurata horarum designatio, in curribus ac naviibus facilior rerum ex uno in alium locum transvectio, in tam admirabili diversorum florum & fructuum artificio allicere ad eorum usum omnia animalia, & elevare rationales creaturas ad cognitionem potentiæ & sapientiæ Creatoris: in omnibus denique hujus mundi materialis partibus, quarum singulæ sunt & ipsæ totidem machinæ divinitus fabrefactæ, elucent considerantibus suæ causæ finales. Minor contra adversarios, qui concessa majori eam negant, sic probatur. Hominum corpora sunt machinæ, quarum motus & effectus, qui ex his proxime sequuntur, manifestant caussam finalem esse animam, quatenus hæc per impressiones & motus factos in corpore habet sensationes, quibus determinetur ad procurandum, quod conveniat corpori sibi conjuncto, suæque in ipso conservationi: ergo brutorum etiam corpora sunt machinæ, quarum motus manifestant causam finalem esse animam, ut similes effectus operetur. Bonitas hujus consequentiæ demonstratur per argu-

(1) Car. Epist. par. 1. epi. 53.
(2) Id. ibid. ep. 67. ad Mersen.
(3) Ma. de Inqui. veri. Illustr. c. 3. par. 2. l. 6. arg. 1.
(4) Yv. in Encyc. ar. ame debetes.

argumentum jam expositum (n. 19.).

23. Qui dicunt causam finalem a machinis brutorum distinctam esse vitam & commodum hominum, imprimis assignant caussam finalem non solius machinæ brutorum, de qua hic quærimus, sed ipsorummet brutorum viventium, adeoque machinæ simul & motuum omnium, quos in ipsa admiramur, sive machinæ simul & animæ, quæ hanc informat. Deinde non advertunt hujusmodi caussam ab illis propositam non esse proximam relate ad bruta, quæ nobis prosunt, quia hoc non faciunt ex se ipsa, sed ex nostra industria: nullam autem esse relate ad bruta, quæ nihil conferunt ad vitam & usum hominum, tum majora, ut silvarum feræ, tum minora, ut innumera insecta terrestria aquea & aerea.

24. Mitto illos, qui agentes determinate de organis sensoriis brutorum, dicunt horum caussam finalem esse conservationem totius illorum machinæ, quippe nullus inest formatus sensus in mente sic loquentium. Cum enim partes non distinguantur a suo toto, nisi distinctione rationis, fit ut organa sensoria corporis non distinguantur nisi per rationem a totius corporis machina. Quare non potest dici organa illa habere pro suo fine conservationem totius machinæ; Hoc enim idem esset ac dicere, quod habeant pro fine se ipsa & sui conservationem, adeoque quod prorsus nullam habeant caussam finalem. In materiam enim non cadit ulla inclinatio in aliquod sui bonum, quia hoc postulat vim cognoscendi, quam aliunde ipsi Cartesiani cum essentia materiæ consitentur repugnare.

25. Videant A. D, (1) & Fortunatus a Brixia (2) quantum distent a simili vaniloquentia, dum dicunt finalem caussam oculorum, aurium, & aliorum sensuum in brutis esse horum operationes, quia hi sensus se habent tamquam totidem elasteria & pondera, quibus horologia vel aliæ machinæ moventur. Imprimis enim quidnam hujusmodi operationum nomine intelligunt? Si intelligunt motus brutorum, quatenus credunt omnes fieri secundum leges mechanicas, jam petunt principium, & evidentiæ opponuntur, quæ passim exhibet in brutis motus a legibus mechanicis abludentes, ut mox ostendam: sin autem intelligunt sensationes appetitiones & motus his respondentes, jam animam admittunt, quæ sola potest sentire & appetere. Deinde sicuti postquam quis dixit, horologii rotas & pondera habere pro caussa finali motum horologii opportunum ad accuratam temporis distributionem, ansam dat quærendi caussam finalem hujusmodi motus: ita de operationibus brutorum quocumque modo intelligantur, quæritur causa finalis. Ne autem hæc in nobis constituatur, obstant non solum, quæ nuper observavi, sed præterea inutilitas tantæ subtilitatis in sensibus multorum, quæ nobis nullius sunt usus.

26. Sunt qui sic etiam arguunt. Non potest dici de artificiis naturæ, quod dicitur de artificiis humanis: Sed de his dicitur, quod sint puræ machi-

(1) A. D c. 12. pag. 82.
(2) Bri. Phys. partic. tr. 3. dis. 2. sec. 2. arg. 2. Schol.

machinæ: ergo de artificiis naturæ, cujusmodi sunt bruta, nequit dici esse puras machinas. At inutile est hoc argumentum. Nam negatur major pro sensu, quo hi illam affirmant, ut intelligitur ex toto argumento. Numquid plantæ, quæ sunt artificia naturæ, sunt aliquid præter machinam? Machina igitur significat instrumentum materiale ex pluribus diversis partibus compositum; quo potentiam aliquam ut ajunt Mechanici, reddimus parem vel majorem opposita resistentia. Hæc autem notio cadit tam in ea, quæ nostri artifices faciunt, quam in ea, quæ divinus artifex fabricatus est. Differentia quidem est in nominibus, quibus singulæ partes hujusmodi artefactorum appellantur; quæ enim in humanis dicuntur chordæ clavi tubi, in illis naturæ dicuntur musculi ossa nervi.

ARTICULUS V.

Argumneta a motibus brutorum.

27. MOtus brutorum non sunt motus machinæ, quæ solum juxta leges communicationis motus moveatur: ergo bruta non sunt meræ machinæ. Antecedens probatur I. quia puræ machinæ ita moventur, ut frustra nutibus, clamoribus, minis, illiciis tentes earum motus in aliam directionem commutare, quemadmodum constanter observamus contingere in brutis, ut in canibus, qui currunt divertunt sistunt ad nutum domini: in avibus, quæ disperguntur ad fragorem manus contra manum impactæ: in equis, qui retrocedunt ad fustis conspectum contra se erectum: in ipsis cimicibus, aliisque vilissimis insectis, quorum examen si pertentes, videas velocissime dissipari, aliis hac, aliis illac præpropere fugientibus, aliis modo in unam partem, modo in aliam se dirigentibus, quasi titubantibus circa viam, qua securius vitæ periculum effugiant. In his Buffonius habet luculenta dubitationis exempla, quæ in brutis falso affirmavit non reperiri (n.7.).

28. II. Quia machinarum motus iidem sunt positis iisdem caussis motricibus eodem modo operantibus, cujusmodi sunt idem pondus, eadem manus vel alterius potentiæ agitatio: Sed brutorum motus non sunt iidem, positis etiam iisdem caussis eodem modo operantibus. Exemplo sint bestiæ, quæ nobiscum domi vivunt. Illæ prima & altera vice advenæ horrorem vel fuga vel clamoribus manifestant, sed deinde nihil ab eorumdem repetito accessu perturbantur. En eædem caussæ, iidem homines, sed longe diversi effectus in iisdem bestiis ex assuetudine orta ab iterata vel diuturna præsentia objecti, & per sensus hausta, quæ variare quidem potest affectus cognoscentium, non vero motus meræ machinæ. Aliud non minus illustre exemplum in canibus quotidie licet observare. Ostendis cani saxum vel lignum speciem panis præseferens, eumque advocas, ocyus accurrit, oculis & odoratu vel etiam dentibus pertentat oblatum, & se illusum

illusum videns discedit humilis & mœstus. Iterum iterumque vocas ostendens idem objectum, jamque amplius non movetur. Cum impressio sit eadem a vocibus invitamentis ostensiore ejusdem rei, cur non iidem sunt motus & actus? scilicet sicuti motus primo peracti a bruto fuerunt ex apprehensione cibi, ita quies & quædam iracundia, quæ deinde in eo apparet, originem habet a diversa cognitiore. Prima vice excitata fuit apprehensio cibi, qua canis accessus determinatus fuit: at secunda vice adest etiam memoria de experimentali per visum & odoratum impressione, qua cibum non esse cognovit, & quæ utpote vehementior brutum retinet, ne amplius moveatur.

29. Hoc argumentum, ex quo Jo. Hieronymus Sbaragli (1) sæpe, Genuensis (2), & Paulianus (3) concludunt machinam, quæ contra leges mechanicas moveatur, aliud brutum non esse, nisi chimæram, urget Gabriel Daniel per similitudinem organi musici, qua Cartesius suam automatum theoriam credidit se in apricum deduxisse (4) sic arguendo. Etiam (5) in corporibus nostris, machinis perfectioribus, quam sint corpora brutorum, pulmones sunt tamquam folles organi: eorum vesiculæ, quibus toti constant una cum aspera arteria, tamquam tubi aerem introducentes & emittentes: nervi & musculi tamquam chordæ attollentes & deprimentes opportunas regulas: diaphragma tamquam manus, quæ folles agitat: & objecta externa tamquam organi modulatores, qui nunc hos nunc illos sensus tamquam totidem organi asserculos tangunt ac premunt: attamen nihil horum determinat nos necessario ad hoc vel illud objectum, ut ad cibum & potum, quemadmodum testis est quotidiana experientia: ergo falsum est brutorum machinas esse tales, quæ possint determinari necessario ad similes operationes per solam impressionem objectorum in illis factam.

30. III. Quia impossibile est, motus quos faciunt bruta, dum famem patiuntur, fieri per solum impulsum effluviorum ut dicunt Adversarii. Nam consideremus primo canem, cui laboranti fame projiciatur cibus; hoc enim exemplum adhibet A. D. (6), credens post descriptionem quamdam ipsius cordis cerebri stomachi aliarumque partium jam planum fecisse, nullam habere animam, a qua repeti debeat quicquid operetur, ut fami satisfaciat: Do igitur illi & Cartesianis, cibum cani propositum emittere circumquaque effluvia, hæc ingredi per oculos, & nares bruti, concutere nervos usque ad suam primam originem, quam in cerebro habent, & aperire valvulas, ex quibus effluant spiritus animales, alii in crura ut moveantur, & alii in mandibulas, ut alternatim aperiantur & constrin-

(1) Sba. Anim. brut. dis. 1. c. 1. sec. 3. pag. 69.
Id. ibid. c. 2. sec. 1. pag: 87.
Id. dis. 3. c. 2. sec. 5. pag. 459.
(2) Ge. Metaph. p. 2. app. de brut. n. 2.
(3) Pa. Diz. di fisi. ar. animal.
(4) Car. Trac. de Homine.
(5) Da. Suite du Vorag. prop. 2.
(6) A. D. c. 17.

ſtringantur. Sed his omnibus datis aliud non intelligitur, niſi organa aliqua bruti plena jam eſſe quodam fluido, non vero intelligitur ab his effluviis mechanice attrahi canem, & multo minus per vias obliquas, & diverſos anfractus, ſi inter cibum & beſtiam ſit lata quædam fovea vel aliud impedimentum, quod per circuitus debeat ſuperare. Quod ſi unus non ſit canis famelicus, ſed duo, vel canis ſimul cum fele, multo minus mechanice explicari poteſt rixa, quæ exoritur inter illos, & terminari debet cum alterius ſupra alterum victoria, antequam alteruter propoſito cibo potiatur.

31. Conſideremus ſecundo equum alligatum currui, quem magno cum labore trahit a multis jam horis, cum in conſpectum venit avenæ vel fœni. Inſinuent ſe harum rerum effluvia juxta Carteſianos in organa equi, faciantque impreſſiones in cerebro quaſcunque volunt, & emiſſiones fluidorum in nervos, & muſculos. Permittam omnia hactenus ſe habere mechanice. At quod tantam molem, equum & currum cum impoſito onere ad ſe trahant illa effluvia, permitti non poteſt, quia eſt contra leges mechanicas. Præterea fac per viam occurrat fovea, jam equus ſiſtit, & quando etiam velis ipſum verberibus urgere, reſiſtet, & ſuo modo negabit ſe id unquam facturum. Auctor A, D. vulgare hoc phænomenon ſibi objiciens (1) dicit hujus reſiſtentiæ cauſam partim eſſe reflexionem lucis ex fovea, & iis quæ ſunt in fovea: partim mutationem figuræ in oculis equi, quæ tunc minus ſit convexa; Nam modus inquit agendi radiorum reflexorum ex corporibus ad diverſas diſtantias poſitis, diverſus profecto eſt, & diverſa conſequenter forma oculorum in his caſibus, ſicuti ſuadet apprehenſio noſtra de diverſis corporum diſtantiis. At hæc reſponſio nullius momenti eſt; Nam equus non ſiſtit, cum repente per nubem, vel per ædificii, aut ſilvæ umbram ceſſat vivida ſolis illuminatio, etſi tunc multo magis mutantur lucis reflexio, & oculi forma, ac mutentur per foveam aliquam, ſi forte fiat ulla immutatio. Alii Carteſiani, quos Paras (2) confutat, volunt per effluvia, quæ a fovea emanant, motum equi ſuſpendi. At quonam modo ſive fovea ſit ampliſſima, qualis eſt alveus fluminis, ſive minus ampla qualis in ſemita occurrens, emanant effluvia ejuſdem vis directe oppoſitæ illi, per quam prius movebatur vel trahebatur? Præterea ſi anguſta ſit fovea, & via ampla, brutum non ſecus ac homo declinat, & iter ſuum ut prius proſequitur. Non ſunt igitur ſemper a foveis effluvia vis directe oppoſitæ & æqualis vi, per quam bruta progrediebantur.

32. Urgeri hoc argumentum poteſt ex cane, qui e feneſtra proſpiciens dominum, non ſe ex illa præcipitem dat, quemadmodum deberet, ſi effluviorum attractio cauſſa eſſet ejus motus, cum qua jam conſpirat vis gravitatis, ſed ad ſcalas properat, quæ ad portam deducunt, & ex illo qui relictus in una fluminis parte, dum dominus ad aliam ſupra

(1) A. D. c. 22. pag. 212.

(2) Par. Metaph. n. 343.

supra navim traiicit, ad ipsum vocatus natat non jam per lineam rectam, quam propter impetum a quarum non sustineret, sed per satis obliquam, quam aggreditur procul recedens in partem cursui fluminis oppositam, quod per æstatem se vidisse Romæ ab eo audivi qui mihi id admirans narravit. Quænam est hæc nova vis effluviorum, quæ contra notas usque ad hoc tempus leges mechanicas, canis machinam relicta via directa & brevissima per anfractus attrahit ad dominum?

33. Sbaraglius idem argumentum diligenter promovet ex cane, qui heri sui portam clausam inveniens, eam pedibus impellit, nec ab ea discedit, & identidem latratus ingeminat. (1) *Sicuti*, inquit, *deducitur hominem cogitare ingressum in domum ex pulsatione mora & voce vocante habitatores, & hæc sunt horum signa certissima, ita non cognoscimus fundamentum negandi in cane ob similes motus cognitionem domus clausæ. & cogitationem ingressus. Hic desideratur disparitas*. Sed hanc qui sinceri sunt, dicunt sibi non occurrere, & (2) *Candide fateor* respondet Fortunatus a Brixia, *hoc explicari non ita facile posse*. At tunc enim vero retorquebunt Peripatetici contra Cartesianos, quæ ipsi declamant contra animam sitam in forma quadam substantiali materiali, tamquam merum nomen, cui nulla subest significatio, & quo nullum instruas, sed socordes dumtaxat & pueros deludas. Nonne inquient otiosum est ad quæstionem de variis brutorum operationibus respondere eas fieri per certas organorum impressiones & dispositiones, quas nequeunt definire, & certos motus, quos se nescire profitentur, excitatos a certis corpusculis sive spiritibus, quorum indolem & vim ignorant. Quisnam ab hujusmodi verbis generalibus doctior evasit? Quod addit Brixia, *humanum captum æque superat opinio statuens belluarum animam esse spiritualem, simulque ab humana essentialiter differre, atque sententia, quæ ponit omnes belluarum operationes ex solo mechanismo provenire*, est falsum ex multis rationibus, quas infra proponam.

34. Cum Henricus Morus similia argumenta Cartesio objecisset, ipse sic reposuit, (3) *Non moror astutias & sagacitates canum & vulpium, nec quæcunque alia propter cibum venerem vel metum a brutis fiunt. Profiteor enim me posse perfacile illa omnia ut a sola membrorum conformatione profecta explicare*. Sed hæc sunt jactantia, non solutio. Idem Cartesius Arnaldo (4) simile quid objicienti desumptum ab effectibus timoris, qui se manifestant in brutis, ut cum aves a viso accipitre, & oves a viso lupo fuga se subripiunt, respondit hæc fieri a brutis sine cognitione, quia a nobis fiunt cum cognitione, sed sine consultatione. En ejus verba, quæ vel puer irrideat, tamquam hominis delirantis, (5) *Cum illi qui ex alto decidunt, manus in terram præmittunt, ut caput tu-*

C *ean-*

(1) Sba. Anim. brut. dis. 3. c. 3. sec. 5. pag. 550.
(2) Bri. ubi supra.
(3) Cart. Epist. par. 1. ep. 65.
(4) Ar. object. quart. con. medit. Cart.
(5) Car. respons. ad object. quartas.

eantur, nullo sane consilio rationis id faciunt, sed tantum quia visio impendentis casus spiritus animales in nervos mittit. Cumque hoc in nobis pro certo experiamur, quid est quod miremur, si lumen e lupi corpore in ovis oculos reflexum eamdem habeat vim ad motum fugæ in ipsa excitandum? Antonii le Grand magis etiam absurda est ratio explicandi diversos canis motus in adventu peregrini ac domini dicendo eos fieri per purum mechanismum, prout est ibi ipsius propositum, quia non fiunt per purum mechanismum, sed ex cognitione, qua canis herum a peregrino distinguit. Scilicet rei evidentia deludit non raro susceptum eam negandi consilium, & trahit etiam invitos ad ipsius confessionem; Verba, quæ hanc contradictionem continent, hæc sunt, (1) *Si herus forte ædibus succedat, & canis oculis commodum objiciatur, ita ab ejus aspectu cerebri meatus aperiuntur, ut versus illum gressus dirigat, lætitiam testetur, & tremulo caudæ motu ei aduletur. Sin peregrinus ingrediatur, cujus vultus, corporisque habitus ignoti sint, ejus aspectus, insolitusque odoratus ad motum contrarium canem concitat, apertis scilicet musculis, qui ad morsus inferendos, iramque patefaciendam auxiliantur.* Advertit jam Sbaraglius (2) fieri hic mentionem de cognitione per illa verba, *vultus corporisque habitus ignoti*, & per effectus lætitiæ & iræ pro diverso aspectu & odoratu apprehensionem & distinctionem unius objecti ab alio demonstrari.

ARTICULUS VI.

Argumentum ex loquela brutorum.

35. SIC arguitur & quidem ad hominem cum Sbaraglio (3), & Petro Papi (4). Cartesius (5) nequis ex machinamento corporis humani inferret illud carere anima, quemadmodum statuit de brutis, dixit obstare loquelam, per quam homines inter se communicant, & arbitrium, quod passim in ipsorum operationibus se prodit: Atqui etiam bruta habent quamdam sibi propriam loquelam, quæ dici potest naturalis, eademque habent quoddam genus arbitrii: ergo ne bruta quidem sunt meræ machinæ. Quod bruta habeant arbitrium quoddam, quatenus variant motus suos, prout requirit ipsorum conservatio & commodum pro diversis circumstantiis, nec determinata & alligata sint solis legibus motus rerum inanimatarum, evidens est ex dictis supra (n.31.), & inferius, ubi eadem revera cognoscere distincte ostendam, evidentius fiet. Quod autem habeant loquelam naturalem probatur, quia: hujus

(1) Gra. de Caren. sensus §. 79.

(2) Sb. Anim. brut. di. 3. c. 3. sec. 2. pag. 455.

(3) Sb. Anim. brut. di. 1. c. 2. se. 2. & di. 3. c. 2. se. 4.

(4) Pa.Sac.crit.Rispost.a Sufilo pag.42.

(5) Ca. de method. n. 5.

hujus nomine veniunt actus, quibus absque ulla prævia conventione manifestantur aliis cognitiones animæ, sive hoc fiat per voces, sive per alia signa, ut videmus fieri a mutis. Usus signorum quæ talia sunt ex inito antea pacto, dicitur artificialis loquela, cujus generis est loquela humana, quæ fit per voces articulatas, & per quamdam excellentiam loquela absolute vocatur. Hæc doctrina antiqua est & communis, dicente jam Card. Pallavicino (1) *non est de essentia loquutionis esse significativam ex conventione*, nihilominus magni interest ad perfectam vim argumenti audire Cartesium, qui loquens de brutis idipsum expresse docet, (2) *Externarum nostrarum actionum nulla est præter loquelam aut alia signa ad objecta significanda instituta, qualia fiunt a mutis, quæ possit constare inesse corpori nostro animam, quæ cogitandi facultate polleat*. Jamvero bruta præseferre loquelam naturalem tum secum, tum nobiscum plane sic demonstratur.

36. Imprimis (3) *Bruta animantia*, ut loquar cum Monteiro, *suum plerunque habere idioma, quo sese invicem alloquuntur, & ideas invicem communicant*, evidens est, quoties illorum mares & feminæ una cum prole, donec sufficienter educata sit, vitam socialem vivunt, & in multis aliis circumstantiis quas persequitur Bougeantius (4) post Porphyrium (5). Fabricium Aquapendentem (6), Aldrovandum (7), & alios multos. Auctor est Albertus Magnus (8) hirundinem Coloniæ cum non posset passerem e nido suo expellere, stridore quodam socias convocasse, quæ lutum rostro præferentes simul uno impetu nido incubuerunt, ejusque aditum obstruentes infensum hospitem suffocarunt. Aristarchis, qui in hac narratione vitium credulitatis agnoscunt, oppono Guerium (9), qui intemperantiam in horum critica reprehendit, & factum confirmo simili exemplo de apibus concurrentibus ad sepeliendum limacem intra alveare illapsum, quod inferius exponam. Gassendus audiens, qui diceret btuta non loqui, postquam respondit, (10) *cum non proferant voces humanas, scilicet homines non sunt, proferunt tamen proprias, iisque ut nos nostris, perinde utuntur*: alibi (11) refert tres parvas hirundines, quæ recens e nido egressæ fuerant, non fugisse ad sui appropinquationem ter repetitam, donec duæ quædam majores hirundines illarum fortasse parentes tandem accesserunt, & post quosdam suos cantus cum ipsis abierunt, Hæc narratio legitur etiam apud Le Grand (12), & Gassendi compendiarium Bernierium (13).

C 2 37. Plu-

(1) Pa. de Fide c. 1. n. 6.
(2) Car. Epist. part. 1. epi. 54. ad Motum.
(3) Mo. Phys. viventium n. 114.
(4) Bou. su le Bestie par. 2.
(5) Po. de abstinen. l. 3. n. 3.
(6) Fab. de Brutor. loquela.
(7) Ald. de Quadrup. digitatis. Et Ornith. l. 14.
(8) Alb. de Animal l. 8. c. 2.
(9) Gue. Anim. delle Bes. vol. 1. c. 1.
(10) Gas. in Medit. 2. Cart. dub 6. sub init.
(11) Id. Oper. to. 2. de Animal. l. 8. c. 5.
(12) Gr. de Caren. sensus n. 40.
(13) Be. Abre. de Gas. to. 6. lib. 3. c. 5.

37. Pluche (1) invitat nos ad observandam Gallinam Gallinaceam in medio suorum pullorum clamantem ex improviso stridula voce, qua tamquam tonitru perculsi fugiunt pulli, & vel se abscondunt in receptaculis, quæ magis sint in promptu, vel humi procumbunt immobiles etiam per horas, renovatis identidem a matre quibusdam vocibus, quibus eos admonet de ingruentibus insidiis a rapaci accipitre, quem ipsa circumspectans omnia, atque prospiciens observat supra nubes perpetuis gyris minitantem. Illo tandem abeunte mater discessum statim enunciat alia voce, cujus sensum percipiunt pulli; Nam alis plaudentes, & sibilantes ocyus circa illam omnes congregantur. Copiam ut ita dicam sermonis gallinarii admirantes exposuerunt Cardanus (2), & citatus Fabricius, qui sic habet, (3) *Gallinam audias alios promere articulos, dum ovum emittere cupit: alios dum emisit: alios dum pullos ad se allicit: alios dum ob terribile aliquod imminens eos a se fugat: alios, dum cubitum vadit: alios dum exurgit: alios dum cibum petit: alios dum est affecuta: & alios denique secundum varios affectus ita expostulantes*. Nec minus abundans lexicon componi potest ex vocibus aliorum animalium. In illis felium præter diversi generis ejulatus recenseri debet fremitus patulo ore expressus cum sibilo vehementi, dum quid abhorrent, & murmur minarum plenum, dum timent nequis sibi bolum eripiat.

38. Ipsa insecta, quæ omnino nullam nobis sensibilem vocem habent, negari non potest mutuam inter se loquelam habere. Luculenta hujus argumenta quisque habet in longis formicarum tractibus, qui per æstatem frequentes occurrunt, in quibus sæpe videas, quæ ad suas domos redeunt colloqui cum iis, quæ inde veniunt. Aelianus auctor est (4) Cleanthem Stoicum philosophum, cum olim otiosus sederet vidisse quasdam formicas deducere cadaver alterius ad ostium caveæ ab aliis occupatum ipsi similibus, quæ ad harum adventum introgressæ id aliis certissime annunciarunt. Nam vidit aliquas statim inde exire, ut de re certiores fierent, & iterum regredi, ac non multo post foras extrahere vermiculum ex suo penu desumptum, eumque tradere alienigenis, quæ funus suæ civis deduxerant, iisque jam abeuntibus cum recepta vel mercede vel munere pro præstito officio, incolas vidit relictum cadaver intus ad sepulturam adsportare. Quod ita mentem hujus stoici perculit ut statuerit formicas esse non solum loquela, sed etiam ratione præditas.

39. Deinde quod nobiscum etiam loquela naturali utantur bruta, suadent omnia signa, quibus nobis manifestant vel desiderium vel metum vel furorem. Quid hoc clarius in brutis quibuscum quotidie vivimus. Canes, *salve* quodammodo dicunt domino advenienti voce amabili: *cave* vero & *abi* dicunt advenæ latratu terrifico: & *hei mihi* ingeminant

(1) Pl. Spet. della Natur. to. 1. Les Oiseaux.

(2) Ca. de Rerum varie. l. 15. c. 82.

(3) Fab. de Brut. loquela c. 3.

(4) Ae. l. 6. c. 50.


nant percussi aut vulnerati miserabili ululatu. Iidem cum primo cupiunt, ut sibi fores aperiantur, leni clamant latratu: si tardes admittere, gravius jam insonant, desiderium suum cum dolore commixtum indicantes. Quod si sint ex venaticis, non solum percipiunt, quæ sibi vel voce vel gestu sint imperata, sed propriis etiam vocibus herum monent de iis, quæ circa prædam cognosci ab illo debent. Qui equos instruunt ad diversa exercitia, qui bobus utuntur ad agriculturam, nonne habent cum his commercium, quale fere habet herus cum famulo muto? Noscit mutus mandata heri per signa, quæ æquivalent verbis, quibus suo modo apte mutus respondet; noscunt etiam bruta quid sibi velint hi vel illi nutus sui domini, quibus suo respondent modo vel exequendo imperata vel aliis signis, quorum sensum probe herus intelligit. Audivi ab homine mihi noto, hinnitu excitatum se fuisse a somno, quo alte correptus fuerat, dum equitaret per noctem, postquam equus perveniens ad locum, quo alias solitus erat divertere, & sistens, animadvertit ipsum nondum evigilare.

40. Sunt qui hoc argumentum ex loquela urgent ex historiis, quæ docent aliquos avium loqnutionem, quam inter se habeant, intelligere; Nam siquid illæ canunt, ipsi enarrant quid eo cantu significant, eventu comprobante eos nec mentiri nec decipi. Exemplum proponunt Apollonii Thyanæi, qui aliis narravit, avim, ad cujus adventum & cantum aliæ statim avolarunt, nuntiasse certa in via reperiri frumentum, quod puer decidens dispersit. At hæc narratio auctorem habet Philostratum impudentem sycophantam. Si reticuisset circumstantiam de lapsu pueri, & de loco, in quo frumentum erat, non posset de mendacio coargui; Alii enim referunt observatum esse passeres unam vocem adhibere, cum alias invitant ad frumentum decerpendum, aliam cum ad milium, & similiter lupos nunciare aliis sociis diversa voce inventum equi cadaver, ac illud asini.

41. Cum legimus in Genesi diabolum per serpentem alloquutum fuisse Evam, nobiles interpretes advertunt hoc non fecisse per voces humanas, sed per dialectum serpenti proprium, quam Eva optime percipiebat, infusa illi sicuti & primo homini hac etiam scientia. Joannis Marianæ verba placet hic referre pro hac interpretatione, quoniam in ipsis invenio auctoritatem magni ponderis pro loquela brutornm (1). *Vocem, inquit, humanam fuisse serpenti non est verum, sed animantibus suam dialectum esse, qua inter se motus internos explicant, multa argumenta suadent, & Clemens Alex. affirmat (2). Eam dialectum notam primis parentibus quis dubitet?*

42. Chambre (3) apud Guerium (4) promovet hoc argumentum ex loquela, contendens contra communem opinionem bruta habere etiam voces

(1) Ma. Schol. in Sen. c. 3
(2) Cl. Strom. 1.
(3) Ch. Conoscenza degli anim.
(4) Gu Anim. delle best. vol. 2. c. 2.



voces articulatas, etsi ex solis & paucis plerunque vocalibus, & vix una aut altera consonante. Sed quoniam tota hæc ratio nititur in nova articulatæ vocis definitione nullam vim addit argumento; Communis enim notio articulatæ vocis, quæ quid significet, postulat ut sit signum arbitrarium per voces syllabis distinctas idearum, quæ sint in loquente. Quis autem dicat loquelam brutorum constare signis arbitrariis, cum omnia videamus uti certo genere vocis & inflexionis, quod a sola natura apparet singulis speciebus destinatum.

43. Sunt alii, qui instant statuentes in medio Psittacos, qui facile edocentur pronunciare voces humanas: Cælius Rhodiginus refert Ascanium Cardinalem habuisse psittacum, qui integrum Fidei symbolum recitabat: & corvos, in quibus celebris est ex Macrobio (1) qui emptus fuit ab Octavio Augusto viginti millibus nummum, quia ex eo audivit cum rediret victor ex Actiaco prælio hæc verba Ave Cæsar victor imperator: & sturnos, ex quibus unum Carpovius auctor est se (2) audivisse distincte pronunciantem plura verba germanica: & canem illum, quem testatur Leibnitius apud Diarium Parisiense (3) didicisse proferre plura verba gallica, etsi hero dumtaxat prius pronunciante. Sed importunum est hoc argumentum, tum quia loquela hæc artificialis non est communis omnibus brutis: tum quia ea quæcunque in aliquibus sit, valde imperfecta est, & limitate ad certa vocabula, & incapax illius quasi infinitatis, quæ apparet in homine: tum quia propter hanc ipsam imperfectionem facile revocatur ad tales machinæ motus, quos bruta efficiunt, ea ad summum cognitione prælucente, quæ requiritur ad cæteros ipsorum motus spontaneos, non vero ea, quæ videat hujusmodi voces esse aptas ad manifestandas aliis certas ideas, quas illa nunquam apprehenderunt. Quare standum est in sola loquela naturali, quæ probat animam cognoscentem in brutis, & ex loquelæ artificialis defectu concludendum illam non esse intelligentem.

44. Cartesius plane pessundatur hoc ex naturali loquela argumento pro brutis, postquam ipse ex dictis (n.35.) non limitat notionem loquelæ ad voces articulatas, quin immo expresse profitetur, (4) *quod bestiæ omnes perfacile nobis impetus suos naturales ad iras, metus, famem & similia voce vel aliis corporis motibus significant*. At quidnam est, quod eodem in loco dicit, *rationum omnium, quæ bestias cogitatione destitutas esse persuadent, meo judicio præcipua est, quod nunquam hactenus fuerit observatum ullum brutum animal eo perfectionis devenisse, ut vera loquela uteretur, hoc est ut aliquid vel voce vel nutibus indicaret, quod ad solam cogitationem posset referri?* Nunquid hæc dicit, ut excludat a brutis cognitiones proprias animæ rationalis, & de objectis nec sensi-

(1) Ma Saturn. l. 2. pag. 443.
(2) Car. de Perfect. linguæ §. 18.
(3) Journ. des Scav. ann. 1719. Octob.
(4) Car. Epist. pa. 1. epi. 67. ad Merum.

sensibilibus nec præsentibus? At imprimis hoc esset fateri, quod bruta habeant cognitiones generis imperfectioris, quod quidem consentiret cum significatione iræ, quæ apprehensionem objecti molesti, & significatione metus, quæ illam periculi præsupponit, sed simul destrueret suam hypothesim de puro brutorum mechanismo. Deinde quoniam subjungit, *Hæc loquela* (scilicet vera) *est cogitationis in corpore latentis signum certum, atque ipsa utuntur homines etiam mente capti, & linguæ vocisque organis destituti*, jam non excludit solas cognitiones proprias animæ rationalis, cujus usum non habent mente capti, sed alias etiam imperfectiores; concludam igitur Cartesium loqui manifeste repugnantia.

45. Alii Cartesiani, quibus se adjungit Fortunatus a Brixia (1), qui loquelæ nomine, quæ sit signum exclusivum puræ machinæ volunt venire sermonem resonantem, & a nobis non solum audibilem, sed etiam intelligibilem, monentur a Gabriele Daniel ipsos pessime arguere, quippe qui coguntur habere inter meras machinas non solum homines, qui muti sunt, sed quotquot linguam, quam ipsi non noverint, loquantur.

46. Naturalem in brutis loquelam, prout explicata est, agnovit Aristoteles (2), eisque datas credidit voces significativas jucundi & molesti, ut harum ope ipsa sibi mutuo, & homines quibus inserviunt, iisdem possent opitulari: negatum autem sermonem, qui est significativus justi & injusti; quia ad societatem ordinata non sunt, sicut homines, propterea quod ad vitam nostram tuendam sine aliorum ope non sufficimus. Sed melior hujus rei ratio allata est a S. Thoma, quæ in his verbis continetur, (3) *Si homo uteretur sola cognitione sensitiva, quæ respicit solum hic & nunc, sufficeret sibi ad convivendum aliis vox significativa, sicut & cæteris animalibus, quæ per quasdam voces suas conceptiones invicem sibi manifestant. Sed quia homo utitur etiam intellectuali cognitione, quæ abstrahit ab hic & nunc, consequitur ipsi sollicitudo non solum de præsentibus secundum locum, & tempus, sed etiam de his, quæ distant loco, & futura sunt tempore.*

47. Eamdem loquelam admiserunt & observarunt in brutis etiam SS. Patres. S. Basilius agens de animalibus terrestribus, (4) *affectiones*, inquit, *complures animæ naturali sua quæque voce significant; Nam & gaudium & dolorem, & consuetudinis familiaritatisve agnitionem & indigentiam alimenti, & innumeras id genus affectiones emissione suæ vocis indicare videntur.* Generalius loquitur S. Augustinus, (5) *Habent etiam bestiæ quædam inter se signa, quibus prodant appetitum animi sui; Nam & gallus gallinaceus reperto cibo dat signum vocis gallinæ, ut accurrat: & columbus gemitu columbam vocat, & ab ea vicissim vocatur.* Distinctius vero Lactantius dicit, (6) *proprius homini sermo est, tamen & in brutis quædam simi-*

(1) Bri. Phys. partic. n. 4449.
(2) Ari. Polit. l. 1. c. 2.
(3) Th. i n 1. lib. periherm. lect. 2.
(4) Bas. Hexam. hom. 8.
(5) Aug. Doct. Christ. l. 2. c. 2. n. 3.
(6) La. de Ira Dei cap. 7.

similitudo sermonis; Nam & dignoscunt invicem se vocibus, & cum irascuntur, edunt sonum jurgio similem, & cum se ex intervallo vident, gratulandi officium voce declarant.

Articulus VII.

Argumentum ab absurdis corollariis sententiæ Cartesianæ.

48. Negata anima distincta a materia in brutis, quæ sit caussa omnium operationum, quas in ipsis observamus, datur ansa idem inferendi etiam de anima hominum, quod directe ducit ad materialismum. *Bruta*, inquit Sbaraglius (1) *sunt machinæ, & ab hac inductione vastissima non nascetur dubium etiam hominem esse machinam? Quod homo sit animal præstantissimum, non tollit objectionem: solummodo præstantia dicet digniorem machinam; sed non diversam a machina naturam.* Eadem omnino diversis verbis habet Storchenaus (2). Et Mersennus in iis contra meditationes Cartesii, quæ sextæ appellantur, dixit, *plures hominem ipsum absque sensu & intellectu dicturi sunt, & omnia posse facere beneficio elateriorum mechanicorum, si tandem simia canis & elephas hoc se modo suis omnibus operationibus fungi queant*: & Monteirus pluribus urget hanc propositionem (3) *brutorum mechanismus, seu cartesiana sententia ad materialismum manuducit, ad omnem scilicet hominibus cognitionem, spiritualitatem, ac proinde immortalitatem negandam.* Brevius Petrus Papi inquit (4) *abnegatio animæ in brutis negationem animæ rationalis in homine radicaliter involvit.*

49. Ac revera Pherecrates negans brutis animam negavit etiam homini; teste enim Cicerone dicebat, (5) *animam esse nomen totum inane, frustraque animalia & animantia appellari, neque in homine inesse animum vel animam, nec in bestia*, idemque sensisse Aristoxenum testatur Lactantius (6). Voltaires etiam apud D. M., hoc est Del Mare, auctorem libri *Pretesa filosofia de moderni increduli* Romæ impressi anno 1767., contendit materiam posse cognoscere, quia brutis quæ ceteroquin anima carent, credit negari non posse vim cognoscendi. Qua ratione homo in cumulandis erroribus ingeniosus coniungit cartesianam sententiam cum illa materialistarum.

50. Sunt qui minus efficax censent hoc argumentum, quia acquiescunt Cartesianis, qui respondent certos nos esse evidenti testimonio intimæ conscientiæ ipsas operationes, in quibus cum brutis convenimus provenire ab interno nobis principio cognoscente. Nemo enim inquit Arnal-

(1) Sb. Ani. bru. di. 1. c. 1. se. 3.
(2) St. Psych. n. 278. sch. 2. n. 2.
(3) Mp. Phy. Viventi. n. 111.
(4) Pa. Sac. Crit. tr. 3. scrut. 1.
(5) Ci. Tusc. l. 1. n. 21.
(6) La. de opif. c. 16. n. 708.

Arnaldus apud Coltellinium (1) credere potest se esse merum automa, nisi cogitando: ergo si cogitat, jam non est merum automa. Adde alias hominum operationes, quæ utpote longe superantes omnes, quas in brutis videmus, particulari modo demonstrant hoc in nobis evidens principium spirituale. At quando illud in omnes cartesianos adhiberi nequeat, in illos saltem est maxime opportunum, qui contra opinionem, quæ tribuit brutis animam immaterialem, dicunt, ea ipsis data (2) *impossibile esse differentiam aliquam inter nostras animas & illas brutorum exhibere*: ergo concludunt nefas esse admittere in brutis animam immaterialem. Hujus argumenti antecedens est thesis, pro qua auctor A. D. vehementissime declamat, omnia congerens quæ solent ab iis afferri, qui animam brutis tribuunt rationalem. Contra istos igitur valet factum argumentum, quod sic clarius proponitur.

51. Juxta hos adversarios anima brutorum distincta ab organizatione materiæ nulla est: ergo etiam anima hominum distincta ab organizatione materiæ nulla est. Probatur consequentia, quia qui credit *impossibile esse exhibere differentiam aliquam inter nostras animas, & illas brutorum*, quando hæc habeant animam spiritualem, jam concedit ex operationibus brutorum & hominum non colligi hanc differentiam: ergo sicut illæ brutorum fiunt sine anima distincta ab organizatione materiæ, ita etiam operationes hominum fieri poterunt sine anima distincta ab organizatione materiæ. Atque hoc modo retundi potest, quod ipse A. D. iratissimus iterum iterumque dicit accusationem de materialismo promoto per cartesianam hanc opinionem continere (3) *cumulum vel ignorantiæ vel malæ fidei*.

52. Vidit efficaciam hujus argumenti etiam Yvon (4), qui permittens ex hujus modi cartesianismo non sequi materialismum, quia aliunde certum est existere Deum ens spirituale, & certum cuique esse potest existere suam animam distinctam a suo corpore ex testimonio intimi cujusdam sensus, vult tamen sequi Egoismum, quia intimus ille sensus non demonstrat existere in aliis hominibus animam distinctam a materia, nec ullus superest modus acquirendi hanc cognitionem ex eorum operationibus, si non habent differentiam ab illis brutorum, quæ procedunt a solo mechanismo: & etiamsi demus habere, adhuc deficit hic modus, nisi adversarii ostendant, Deum non posse efficere meram machinam illi hominum parem, quæ agat vi solius mechanismi, quicquid videmus homines operari. Qui dicant excludi etiam egoismum per confessionem ipsorum hominum, qui interrogati an sibi conscii sint se sentire & cogitare, id affirmant, falluntur profecto, quia reponit Joseph Mangold, etsi bruta (5) *id ipsum non quidem articulatis vocibus, sed aliis signis manifeste produnt*, adhuc habentur ex vi divinæ potentiæ pro meris machinis, ex eadem

 ratio-

(1) Co. Lett. del Raci. præfa.
(2) A. D. c. 14. pag. 104.
(3) A. D. 1. 12. & c. 28. §. quelques.
(4) Yv. in encycl. ar. Ame des bet. §. Avouons.
(5) Ma. tr. 3. phy. parti. n. 166.

ratione *prudenter aliquis poterit suspicari*, *utrum alii homines sint meræ machinæ*.

53. Est & aliud absurdum, quod sequitur ex cartesiana sententia, prout ab Occasionalistis explicatur, qui dicunt, bruta etsi sunt meræ machinæ, moventur tamen tamquam si essent animata, quia Deus est auctor cujuscunque illorum motus. Data hac explicatione, jam non intelligitur cur habeant bruta eam organizationem tam admirabilem, quæ in aliquibus partibus superat illam nostri corporis. Cessat oculorum, aurium, aliorumque interiorum organorum necessitas tam delicatorum, seu eo quod Deus solus moveat omnia bruta. Præterea non intelligitur cur alio fugiant aves, quas vel inanime & immobile terriculum, vel homo inermis, humi degens terreat. Nam si Deus illas moveat, profecto non ignorat nihil ab his timendum. Alia hujusmodi sexcenta nullam jam amplius explicationem habent, & ad consequentias deducunt divinis attributis prorsus repugnantes, in quibus est illa, quam Cartesianis obiiciunt Benedictus Aletinus (1) & Benedictus Stattler, quod ipsi in brutorum structura opere divino, eorumque motibus per ea a Deo solo factis (2) *haud alium finem effingere*, *quam oculorum humanorum ludificationem possint*, in quo vera in Deum contumelia continetur. Nam sicuti deceptor est & dicitur homo qui signa edat affectionum, quas non experitur, ut timoris fugiens, doloris ululans, lætitiæ gestiens, ita decipere dicendus esset Deus, qui auctor est similium signorum in brutis, quæ nullam in se patiuntur respondentem sensationem & affectionem: & sicuti mendax est homo, qui enunciat aliquid tali modo se habere, quod certo scit verum non esse, ita mentiri Deus dicendus esset, dum in Sacra scriptura frequentissime, ut inferius ostendam, brutis tribuit cognitiones & affectiones, quin unquam nos doceat aliter ac sonent ipsius verba esse accipienda. Atque hoc modo respondetur Gauchato, qui hac cartesiana philosophia præoccupatus rogavit (3) *quid est quod impediat theologum tueri sententiam Cartesii circa animam brutorum?* Placuit meminisse de hac interrogatione, utpote auctoris vere clarissimi, quia ubique jure commendantur ejus literæ criticæ contra quosdam famosos recentium incredulorum libellos, quas Parisiis tacito nomine incoepit anno 1755. gallice promulgare.

54. Tertium ex absurdis corollariis est accusare erroris persuasionem communem, quæ pro anima brutorum nascitur ab argumentis omnium oculis expositis, sicuti faciunt Cartesiani, qui confidenter repetunt omnes usque ad sua tempora errasse credentes bruta non esse meras machinas, ut excusatione tamen dignos censeant propter argumenta, quæ videbantur evidenter suadere inesse brutis animam. Hoc absurdum maius in dies fit, quia argumenta contra cartesianos ab eo tempore, quo ipsi ea repudiarunt,

(1) Al. Lett. apolog. 4. pag. 228.
(2) St. Psych. n. 426.
(3) Ga. Lett. crit. 22. pag. 278.

runt, non solum non sunt imminuta numero aut pondere, sed etiam aucta ab unanimi contra ipsos consensu posteriorum philosophorum, qui antiquis accesserunt post attentum examen eorum quæ cartesiani pro se contra suos adversarios protulerunt, adeoque post detectam penitus eorum quæ iisdem favent levitate, eorumque quæ ipsis nocent pondere & veritate.

55. Non levis tandem momenti est & hoc ex cartesiana sententia corollarium, scilicet ruina omnis scientiæ; Nam cum hæc ultimo resolvatur in evidentiam, hujus vim illa nullam conatur reddere, vocans præjudicium a sensibus haustum credere, ut omnes præter cartesianos se credere profitentur, bruta moveri, & tam multa facere non secus ac a nobis fiant, quia sunt animata. Sed quoniam splendor evidentiæ necessario omnium oculos velint nolint perstringit, concludendum est contra conscientiam eos loqui, quin advertant se hoc modo insinuare materialismum vel egoismum, & pyrrhonismum.

ARTICULUS VIII.

Obiectiones ex machinis hominum.

65. I. Obiicitur. Memoriæ proditum est artifices humanos fecisse aliquando tales machinas, quæ æmulabantur vera bruta operantia. Ita auctor est Gellius (1) *simulacrum columbæ e ligno ab Archita ratione quadam & disciplina mechanica factum volasse, ita erat libramentis suspensum, & aura spiritus inclusa atque occulta concitum*: Et teste Petro Ramo aquilam Regiomontanus construxit, quæ obviam ivit Maximiliano I. vel Carolo V. Norimbergam ingredienti. De statuis Dædali celeberrimi artificis, quem Scaliger apud Salianum in Annalibus anno Gedeonis ultimo floruisse credit, Plato dixit, (2) *Hæ nisi ligentur discedunt atque aufugiunt, ligatæ permanent*. Alia hujusmodi miracula artis enumerat Regnaultius (3) citatis auctoribus, qui de illis testantur: ergo bruta omnia possunt esse puræ machinæ factæ ab Artifice Divino.

Resp. dist. ans: Æmulabantur vera bruta operantia quantum ad quasdam operationes, & quidem modo qui evidenter erat plusquam longo proximus intervallo brutis vere operantibus, *concedo ans*, aliter *nego ans*, & *conseqm*.

57. Ad exemplum columbæ dico cum Gaspare Schotto (4) inclusum aerem, & partium libramentum conferre quidem ad volatum, sed neutrum etiam alteri conjunctum sufficere propter pondus perpetuo materiæ adhærens. Quare vel fabulosa narratio est, qualis haberi debet illa Ra- mi

D 2

(1) Ge. Noct. atti. l. 10.
(2) Pla. Meno. circa finem.
(3) Reg. to 4. Entr. Physiq.
(4) Sc. Mag. univ. Par. 3. l. 3. c. 3. Mach. 5.

mi occisi anno 1572. de aquila Regiomontani mortui anno 1476. , utpote a nullo alio ante ipsum commemorata , ut Trevoltiani (1) jam adverterunt , vel non eo quo dicitur modo res accidit in objecta columba , sed eo fortasse quo sæpe videmus extensam supra paxillos decussatos chartam non tenuis amplitudinis committi vento spiranti , qui eam in nubium regionem defert , ubi ope funis , cui connectitur , donec ventus spiret , detinetur . Idem Schottus (2) censuit levissimam ex charta columbam , in qua lateat acus ferrea retineri posse suspensam per magnetem alto aliquo in loco positum & filum inferne positum , quod ejusdem cum magnete conjunctionem impediat , eamque moveri posse ad motum magnetis per occultam machinam directum .

58. Ad statuas Dædali non dicam cum Trevoltianis (3) plusquam exaggeratas esse laudes huic artifici datas ; Hi enim ita censuerunt audientes Pausaniam testari , ejusdem opera suo tempore extantia inventa a se esse satis crassa & imperfecta , quasi vero laudatæ statuæ dicantur fuisse æneæ aut marmoreæ , & quæ diu durare possent , cum verisimile sit fuisse fictos pusiones , quales nunc observantur in machinis , quæ Mundi novi solent appellari , in quibus videas singulos ad motum rotæ diversis modis moveri , & distinctam operationem exercere . Potuit igitur fuisse Dædalus sculptor aut fusor mediocris , sed excellens machinator , quemadmodum nullius nominis sunt in statuaria , qui similia automata diversis temporibus confecerunt , de quibus late meminit idem Schottus (4) , cum quo proinde dico motum in statuis Dædaleis (5) habuisse pro sui causa rotas pondera elateria , vel machinam ex his compositam ab oculis spectatorum remotam , quæ majorem tunc pro sui raritate potuerunt admirationem excitare , quam nunc in tanta earumdem frequentia contingat .

59. In aliis narrationibus , de quarum veritate vadem se negat esse Regnaultius , nihil aliud habemus , quam motus quosdam temporarios & limitatos in sua directione , qui dici absolute non possunt æmulari , & ne adumbrare quidem motus , qui observantur in brutis . Equidem fabulosam credam statuam Memnonis apud Thebas Ægyptias , de qua cum multi multa dixerint , eam Nordemus apud Trevoltianos (6) ex sua observatione an. 1737. comperit esse marmoreum truncum humi jacentem . Sed quando historia sit non fabula ipsam quotidie radiis solis illustratam resonasse , Kircherius in suo Oedipo (7) , & qui ipsum descripsit Jo. Stephanus Keitlerus in sua Physiologia Kircheriana (8) , & Gaspar Schottus tum in Mechanica , tum in Magia Universali (9) docebunt modum , quo per varios tubos intra machinam absconditos effici id potuerit ab aere , dum calore

(1) Tr. ann. 1710. Junio.
(2) Sc. Mag Univ. pa. 4. c. 4. pragm. 3.
(3) Trc. an. 1752 ar. 31. p. 208.
(4) Sc. Mag. pa. 1 l 1. c. 6.
d. ibid. pa. 3. in proemio.

(5) Id. ibid. pa. 3. l. 3. c. 3. Mach. 4.
(6) Trc. an. 1752. ar. 127. p. 2451.
(7) Kir. Oed. clas. 8. c. 3.
(8) Keit. lib. 6.
(9) Sch. pa. 3. l. 3. c. 1. Mach. 6.

calore Solis rarefactus violenter erumpat: quin immo promoveri etiam posse hujusmodi artificia ex eodem Kircherio discimus, ita ut statuæ (1) *omnis generis tam articulatos, quam inarticulatos sonos pronuncient*, & oculos interea etiam moveant, vel lacrimas emittant, quemadmodum Wolfius (2) exponit.

60. Fortasse hæc, quæ in hanc rem dicta sunt a laudatis mathematicis novit Saverienus, qui ut advertunt Ephemerides Lit. Rom. (3), in suam historiam gallice scriptam *de progressu humanæ mentis in scientia naturali & artibus*, inseruit artificium, quo Memnonis statua resonabat, de eo loquens modo historico, & non conjecturali, quem quis non videat esse unicum, qui prudenter adhibeatur. Hæc omnia interea semel cognita jam tollunt omnem admirationem, quæ in caussa erat ut supra meritum æstimarentur. Quod si verum esset, quod censuit Alexander Tassoni (4) sonitum Memnoniæ statuæ nihil aliud fuisse quam crepitum, quem edebant vapores, nocturno tempore congregati intra illius poros, per rarefactionem in iis factam a Sole, jam ne nominari quidem hic posset.

61. Præterea quicunque viderit parvas statuas constructas ab aliquo Patre Sebastiano viro in his artificiis celebri juxta Fontenellem in suis Academicorum Parisiensium elogiis, quæ ope elateris intra ipsas paulatim se explicantis progrediuntur supra tabulam certo quodam motu, sed semper eodem tum in duratione, tum in celeritate, tum in regressibus, siquos faciant, cytharam interea pulsantes, sed nunquam diverso modo, & oculos subinde circumvolventes, aut caput inclinantes, sed ad determinata temporum intervalla semper eadem: Et similiter quicunque observaverit in principum villis ut in Tusculana Principis Aldobrandini motus per machinam aliquam hydraûlicam vel Poliphemi, qui fistula canit, vel Cyclopum, qui incudem numerose percutiunt, mirabitur, quonam modo philosophus, cujus prima laus esse debet studium veritatis, potuerit hinc arguere tamquam ab exemplo ad excludendam a brutis omnem animam; Subito enim apparet hujusmodi motus similes esse illi, quem faciant statuæ supra currum tractæ a bobus, vel mallei in officinis ferrariis vi rotæ ab aqua fluente circumvolutæ agitati. Paulianus (5) mentionem faciens de tribus machinis celebris Vaucausonii, aliorumque monet eas frustra in medium produci pro hoc cartesianismo, quoniam quivis ipsarum motus sunt *juxta leges mechanicæ, nec ullum edunt cognitionum signum*.

62. Miror itaque confidentiam Cartesii, cum scripsit (6) *possumus fabricare machinam, quæ involitare queat aeri instar volucris metaphysice loquendo; at non physice ac moraliter loquendo; Nam oportet ad minimum subtilia formare instrumenta æque ac robusta, quod tamen vix possibile est præstari*

(1) Kir. Musurgiæ l. 9. pag. 305.
(2) Wo. Elem. Hydraû n. 151.
(3) Ef. ann. 1775. n. 42.
(4) Ta. Pensie. diver. l. 10. qu. 26
(5) Pa. Dia. di Fis. edi. 2. ar. Animà
(6) Ca. epis. pa. 3. api. 6. ad Mersen.

præstari ab hominibus. Nugari etiam crediderim Raciaem juniorem, dum postquam (1) descripsit horologium portatile, quod non solum opportuno sagittæ motu tempus nobis dividit in horas & minuta, sed etiam cum volumus premendo digito ipsius capulum enunciat horam & partem horæ aptis tinnitibus plenis & dimidiatis prout opus est, conclusit approbante in notis Coltellinio interprete, nihil jam mirum esse sanguinem semper ferventem, & a proprio sibi igne attenuatum efficere omnia, quæ in brutis videmus: quasi possint serio comparari tam multiplices & tam variæ operationes brutorum certis horologii motibus.

63. Nescio autem quomodo stoliditatis notam non timuerit Henricus Regius, qui objicientibus bestias multa doceri, reposuit (2) *etiam fontes artificiales, & horologia per partium dispositionem rite adaptatam citra ullam cognitionem similiter docentur*. Sbaraglius, qui eadem & alia similia artificia male opponi a Cartesianis, fuse ostendit (3), audiens hanc Regii responsionem, observat (4) ipsosmet Grammaticos ipsum reprehensuros, qui dicat doceri inanimata, quoniam non possunt discere, & assuescere diverso se movendi seu operandi modo, quæ evidenter vi cognoscendi carent, Quid dicam de Auctore A. D., qui mentionem faciens de horologio Argentoratensi, quod horas enunciabat per Gallum canentem cum alarum commotione, & monstrabat diem mensis, ætatem Lunæ, & alia similia, quæ modo in pluribus horologiis observantur, & his etiam plura exhibebat horologium ab Hildeyardo confectum & explicatum, de quo mentionem faciunt Trevoltiani in monumentis an. 1727., dixit, (5) *videri sibi illum, qui comparet hoc horologium cum vermi terrestri, inventurum plus artis in illo, quam in vermi*; & dum audiens organum, quod ad numerum resonabat ope machinæ hydraulicæ exclamavit (6) *id esse admirabile, quod videatur requirere majorem cognitionem, quam requirant operationes brutorum industriores*. O hominem plane commiserandum sive animi caussa sive ex animo hæc dicat! Nunquid aliquando non advertit nullius machinæ motus posse a nobis interrumpi aut augeri aut minui aut alio modo commutari sola voce aut nutu, & contra passim id effici in equis canibus aliisque brutis? Nunquam ne observavit equos incitatius se movere statim ut tenuem virgam eques agitavit, & jumenta ex improviso sistere ad certas agasonum voces? Dubitabimusne an notam stultitiæ vel crassæ ignorantiæ mereatur, qui fuste erecto minetur horologio percussionem, ni celerius vel lentius moveatur, aut conclamet in quodvis merum automa, ut tantisper quiescat?

64. Cum objectio adducta unum sit ex argumentis, quod sæpe proposuit Cartesius, semel saltem ab illo audiatur, (3) *Ars*, inquit, *est naturæ imita*.

(1) Ra. Lett. 1. su l'ani. delle best.
(2) Re. Fundam. phys. c. 11.
(3) Sb. Ani. brut. di. 1. c. 2. sec. 3. pag. 116.
(4) Id. ibid. sec. 1. pag. 88.
(5) A. D. c. 15. pag. 138.
(6) Id. ibid. pag. 139.
(7) Car. Epist. pa. 1. ep. 67.

imitatrix: *ergo cum homines possint fabricare automata, in quibus sine ulla cogitatione est motus, consentaneum est, ut natura etiam sua automata producat, nempe bruta omnia, in quibus nulla sit cogitatio*, in quo vitium consequentiæ liquido apparebit, si eam juxta ipsius legitimum sensum clarius sic exponas: ergo cum homines fabricent automata, in quibus nulli apparent motus spontanei, & qui præseferant principium cognoscens, consentaneum est ut natura etiam sua automata producat, nempe bruta, in quibus multi appareant motus, qui præseferant principium cognoscens, adeoque excludant esse mera automata. Rejecta hac consequentia, utpote mala, facile mutato exemplo brutorum in illud plantarum obtinetur, quæ bona sit & in se vera. Plantæ enim revera sunt automata fabricata a natura, in quibus sine ulla ipsarum cogitatione sunt motus, per quos non solum augent suas dimensiones, sed suis etiam corruptis aut sublatis partibus, ramis, frondibus, fructibus, alias similes quasi sponte sua tandem producunt; In quo solo quis non videt, quantum automata artificum ab illis naturæ superentur.

ARTICULUS IX.

Objectiones ex uniformitate in brutorum operationibus.

65. I. OBiicitur. Operationes brutorum ejusdem speciei observantur esse semper uniformes: sed hæc uniformitas est argumentum, quod bruta sunt puræ machinæ: ergo

Resp. I. *Omitto mai. & nego min.* Numquid quia omnes incedunt recti, vestibus plerunque se tegunt, domos sibi construunt, cibos sibi coquunt, & in aliis operationibus pro quavis ætate apparent uniformes, inferri potest non habere animam spiritualem, & esse puras machinas? Quod si dicatur longe majorem esse uniformitatem in operationibus brutorum ea, quæ reperiatur in quovis genere earum, quæ fiant ab hominibus, adhuc dico ex hoc non sequi, bruta non habere animam cognoscentem, sed sequi solum habere limitationem ad quasdam dumtaxat operationes & modos operandi. Atque ex hac limitatione infert S. Thomas non jam ea carere cognitionibus, sed carere intellectu, (1) *Bruta*, inquit *intellectum non habere ex hoc apparet, quia non operantur diversa & opposita quasi intellectum habentia*. Ceterum hæc ipsa qualiscunque uniformitas tot motus requirit, ut non solum dici non possit in illis haberi *validissima argumenta ad concludendum nidos hirundinum, & foveas cuniculorum esse effectus pure mechanicos*, quæ sunt verba Diderotii in Encyclopædia ad articulum *Animal*, quibus similia habet Gauchatus (2): sed dici potius debet esse argumenta animæ cognoscentis, quæ bruta informat, ut quod jam subiicio, persuadet.

66. *Resp.*

(1) Th. co. Gent. c. 66. l. 2.

(2) Ga. Lett. crit 22. pag. 280.

66. *Resp.* II. *dist maj.* Operationes brutorum ejusdem speciei sunt uniformes ex aliqua parte, *conc. maj.* ex omni parte, *nego maj. & min.* Igitur operationes brutorum considerari debent quantum ad substantiam, & quasi speciem, & quantum ad circumstantias, & quasi individuum. Exemplum hujus uniformitatis quantum ad substantiam habemus in constructione nidi, quem omnes aves componunt primo ex aspera materia, foeno crassiori, & musco magis denso, deinde ex minus rigida, filis subtilibus, crinibus gracilioribus, tandem ex rebus omnium mollissimis, maxime ex aranearum telis & lana: Et quidem aliæ aves constanter nidos construunt in altis arboribus, aliæ in humilioribus, aliæ sub herbis terrestribus. Hæc quidem est uniformitas, quæ in brutorum operationibus conceditur, nec negari potest.

67. Alia est quantum ad circumstantias, atque hæc negatur. Quod enim aves adhibeant pro suis nidis hanc potius materiam crassam vel tenuem vel mollem, hujus vel illius coloris, & similia, sunt circumstantiæ, quæ in singulis variantur. Itaque auctor est Pluche (1) acanthidem in aviario inclusam nido pene jam confecto ex solo fœno, quod unice custos ad hoc opus large suppeditaverat, cum deficeret mollior materia, cui ova proxime incumberent, ut aptum ad exclusionem calorem susciperent, visam esse evellere e pectore maris plumas ipso sponte hanc torturam patiente, illisque nidum instruere. En differentia insignis in hoc artificio ab aliis communiter usitatis. Quando etiam apes favos condunt, & hirundines nidos, illorum formam atque figuram ita accomodant locorum situi, ut plane demonstrent inconsiderate Cartesium dixisse (2) *hirundines agere horologiorum instar, & quicquid etiam agunt apes ejusdem esse naturæ*. Nonne si hirundo aliqua nidum fabricat in angulo duorum parietum, ille jam necessario differt a ceteris, qui adhærent plano parieti? Et si castores expulsi ex uno loco in alium commeant, pro diversitate terræ, quam inveniant, novas sibi condunt habitationes ab illis, quas reliquerunt, diversas.

68. Hanc observationem fecit etiam Diderotius ad articulum *Bellua* in Encyclopædia, qui non solum eam ibi ita declarat ut contradicat iis, quæ ut paulo ante (n. 65.) vidimus dixerat, quod illi exprobrat Chaumeixius, sed eo præterea urget (3), ut dicat *esse tam similes nidos hirundinum & cavernas cuniculorum, quam sunt similes inter se hominum habitationes*, quod est dare illis varietatem plus nimio ingentem, & omnino falsam; Nam ædes nobilium ab illis plebis & a magalibus tam differunt, ut ridiculus sit, qui sic diversum dicat unius hirundinis nidum ab illo alterius. S. Augustinus profecto postquam utrunque operum genus sibi objecit, vidit in illis hominum eos (4) *tamquam dominos omnium figu-*

(1) Pl. Spett. de la nat. tom. 1. Les Oiseaux. ent. 1.

(2) Ca. Epi. 53. in p. 1.

(3) Ch. Prejug. c. l'Encyc. vol. 1

(4) Au. de ver. reli. c. 42.

figurarum innumerabilia machinari: in illis vero brutorum non vidit nisi unum modum, *uno modo hirundo nidificat*, *& unumquodque avium genus uno aliquo suo modo*. Similiter uniformitas in individuo postularet, ut volatus ex gr. semel incoeptus cum certa velocitate non esset in uno diuturnior, quam in altero, non intenderetur aut remitteretur nisi post certum æquale tempus, non deflecteret a linea vel recta vel sinuosa, nisi in certis locis; tandem ut nihil appareret, quod cogeret fateri esse effectus spontaneos, quia differentes non solum in uno individuo unius speciei ab illis alterius individui, sed etiam diversos in eodem individuo pro tempore diverso.

69. II. Obiicitur. Plantæ producunt flores & fructus res admirabiles sine ulla cognitione per purum mechanismum, principium scilicet necessitans & nulla præditum nec cognitione nec vi cognoscendi, quia sunt productiones uniformes in omnibus ejusdem speciei plantis cujusvis temporis & loci: ergo etiam bruta faciunt operationes suas quantumvis admirabiles, ut aves nidos, apes alvearia, castores ædificia sine ulla cognitione per purum mechanismum, quia etiam hæ operationes sunt uniformes & constantes.

Resp. nego ans. Non enim ex sola florum & fructuum productione concluditur caussa ipsorum non esse nisi mechanismus, sed ex eo etiam quod fiant sine ullo motu spontaneo. Hic autem motus manifestus est in operationibus brutorum, quare non sunt sine principio, quod ut par sit ad hunc motum eliciendum, nequit esse expers vi cognoscendi. Hoc unum do, artem quam in iis explicant esse a principio necessitante, quod vocatur instinctus, de quo inferius dicam.

70. Instant. Admisso in brutis principio cognoscente, dum nidos alvearia casas, aliasque faciunt admirandas operationes, intelligi nequit hæc illarum uniformitas; Nam eæ saltem perfectiores deberent esse, quæ fiunt a brutis in eadem specie perfectioris constructionis. At confunditur hic principium cognoscendi, quo moventur bruta, dum ea ædificia peragunt cum cognitione ipsius artificii, & totius operis, quod tandem faciunt. Hæc utique cognitio non datur in brutis, quia abstracta est & intellectualis, sed datur ea solum, quam requirunt singulares motus, quibus singulæ ipsius partes incipiuntur & perficiuntur. Quoniam autem cognitio ulterior & perfectior in eis deest, agnoscenda est alia in illis caussa, quæ hanc suppleat, & instinctus dicitur, per quem diriguntur non secus ac puer efficit volens sua manu perfectos characteres, quin hujus perfectionis aut illorum ideam habeat, quia ducem habet suæ manus illam alterius.



Articulus X.

Obiectiones ex aliis rationibus.

71. I. OBiicitur. Negari non potest Deum omnipotentem posse construere talem machinam, qualis est corpus canis, quæ faciat omnes motus, qui in hoc bruto conspiciuntur, vi solius mechanismi sine ullo principio intrinseco cognoscente: ergo debet affirmari Deum reapse construxisse in omnibus brutis tales machinas. Antecedens est propositio, quam ex dictis (n. 12.) recentius statuit Dagoumerus. Idem supponunt Antonius Le Grand (1) & Fortunatus e Brixia (2), & Gauchatus (3), concedi communiter, & negari consequentiam, propterea quod plura jure nunquam extiterunt, quæ tamen non repugnant. Sed iidem male eam negari contendunt, quia quoties admittitur, quod omnes brutorum operationes ex mechanicis dumtaxat legibus per artificium divinum prodire possint, inferri jam nequit illas fieri ab anima, principio cognoscente ipsis dato, immo inferri omnino debet ab anima non fieri, quia cum inter axiomata sit, Deum & naturam nihil frustra moliri, anima in illis nulla est. Hac interea objectione sicut aliis jam commemoratis usus est Lockes tamquam argumentis, quibus suam de materia, quæ potest cognoscere opinionem defendit contra illos, qui eum jure optimo ex dictis alibi (4) de singulari absurditate accusabant.

72. *Resp.* I. Cum Duhamelio (5), Sbaraglio (6), & aliis jam passim philosophis, *omitto ant., & nego conseqm.* juxta notum axioma, a potentia ad actum nulla datur illatio. Quid clarius inquit Benedictus Aletinus (7), quam Deum posse efficere, ut brutorum motus sint a principio extrinseco, spiritu aliquo sive bono sive malo. Numquid proinde id factum esse concludetur? Quis, inquit Guerius (8) dubitabit Angelos posse Deo sic volente nobiscum vivere sub specie hominum? Quod enim novimus olim factum cum Tobia juniore, id plane suadet non esse extra Omnipotentiam divinam. Numquid igitur licebit inferre, qui nobiscum vivunt esse totidem angelos sive bonos sive malos?

Quod addebat adversarius, Deum nihil facere frustra, importunum est, tum quia quod dicebatur omnipotentem Deum posse facere, supponitur fecisse, & quidem necessario, quasi Deus liberrimus non fuerit, ut ipsis jam reposuit Storchenaus (9), caussas ita ordinare, ut effectus certi hac

(1) Gr. de carent. sensus.
(2) Br. Phys. partic. n. 4449. probatur 3.
(3) Ga. Lett. cri. 22. pag. 278.
(4) De ideis n. 309. edit. 2.
(5) Du. Phil. burg. to. 3. di. 3. qu. 5.
(6) Sb. Ani. brut. di. 1. c. 2. sec. 3. pag. 36. & 38.
(7) Al. Lett. apolog. 4. pag. 235.
(8) Gu. Ani. d. best. vo. c. 4.
(9) St. Psych. n. 269. sch. 2.

hac potius quam alia ratione existant: tum quia donec noti non sint fines, propter quos aliquid fit, temere pronunciatur, an in eo sit aliquid frustra. Nonne in arcibus consulto horologia manu militis personant, cum idem alibi solo mechanismo obtineatur? tum quia, ut iam diximus (n. 48.) cum multis, prudenter aliquis poterit suspicari utrum alii homines sint meræ machinæ, quoties negari non possit Deum posse producere machinas, quæ exhibeant operationes humanis similes.

73. *Resp.* II. Cum Gabriele Daniel (1) *dist. ans.* Non potest negari illud esse possibile, ita ut neque possit affirmari illud esse possibile, *permitto ans*: ita ut hoc possit affirmari *nego ans & conseqm.* Cum Cartesiani ipsi profiteantur se non comprehendere machinam brutorum, & imparatos esse oculis & instrumentis sufficientibus ad omnia ipsorum organa cognoscenda, atque hoc ipsum repetant, dum urgentur ad proferendam explicationem eorum quæ videmus fieri a brutis aliter, quam per terminos vagos quorumdam effluviorum, quæ impellunt quosdam spiritus animales in quædam illorum organa; male deinde transeunt ad affirmandum possibile esse, ut per purum mechanismum omnes brutorum operationes fiant. Sed demus possibile hoc esse, dare certe & ipsi debent, possiblle pariter esse, ut per animam fiant, cum nulla in hoc sit contradictio. Hoc autem dato, jam infertur fieri per animam; Sic enim evitatur gravissima in Deum contumelia, quod organa sensoria similia nostris in brutis fabricaverit vel frustra, vel ad perpetuam (n. 53.) *oculorum humanorum ludificationem*.

74. *Resp.* III. Iterum cum Sbaraglio (2), & Storchenao (3), & Monteiro (4) *nego ans*, tum quia repugnat meras machinas moveri minis clamoribus & aliis argumentis, quæ terrorem incutiant, aut voluptatem promittant, & animam generaliter manifestant prorsus distinctam, & diversam a materia quocunque modo disposita, quæ non impellitur nisi notis mechanicæ legibus: tum quia repugnat esse meram machinam, quod ostendi potest præditum facultate cognoscendi & appetendi, quemadmodum inferius præstabo. Non est igitur quod Malebranchius dicat, (5) *qui animas in brutis ab ipsorum sanguine & organis corporeis diversas, quibus omnes præstent functiones, præfracte volunt, volunt eadem ratione Deo summam non esse intelligentiam, aut ipsum non posse facere res tam mirabiles ex extensione sola*, scilicet ex sola materia, quippe extensio per ipsum est materia. Nam postquam quis vidit, quod functiones brutorum sine anima, sive per solam materiam haberi repugnat, & contradictionem involvit, si adhuc velit Deum intelligere modum, quo illæ sine anima fiant, & posse hunc modum exequi, jam credit objectum intelligentiæ esse ea etiam, quæ non possunt intelligi, & objectum Omnipotentiæ, quæ involvunt contradictionem. Quod est plane desipere.

E 2 75. Instat

(1) Da. Suite du voyage.
(2) Sb. Ani. bru. di. 2. c. 1. se. 4. & di. 3. c. 3. se. 5.
(3) St. Psych. n. 269. sch. 2.
(4) Mo. Physic. viven. n. 119.
(5) Ma. Inqui. veri. l. 3. pa. 2. c. 6.

75. Instat Le Grand (1): S. Augustinus censuit (2) *posse fieri cujuslibet animalis speciem corporalem, motumque viventi similem Divino nutu, nullo animali interposito spiritu*: ergo dicere bruta quæ sint mera automata non esse objectum omnipotentiæ Divinæ est contradicere S. Augustino.

Resp. conc. ans, Quia verba sunt reipsa S. Doctoris, sed *nego conseqm.* quia hæc est prorsus illegitima, cum in citato loco species usurpetur in sensu Tullii & Latinorum pro apparentia, non in sensu Porphyrii & Dialecticorum pro una ex quinque vocibus universalibus. Ibi enim loquitur S. Augustinus de illo, quod legitur Lucæ 3. vers. 22. *Descendit Spiritus Sanctus corporali specie, sicut columba*, & docet potuisse Deum sine ulla vera columba exhibere columbæ descendentis apparentiam. Qua occasione differens de *Visionibus*, *quæ apparent spiritui tamquam corporis sensibus*, concludit, hæc *sive in naturis corporeis, sive sola specie corporali, natura autem spirituali, nostro spiritui tamquam sensibus corporeis apparere videantur, quando hæc Scriptura commemorat, cujus istorum duorum generis sint, judicare temere non debemus*. Importune igitur & inscite adducta est S. Augustini auctoritas.

76. Instat Cartesius. Finge hominem, qui in loco vixerit, ubi nulla sunt bruta, sed multi sint machinarum studio addicti, qui effecerint (3) *automata multa, quorum aliqua equi, alia canis, alia avis &c. speciem referat, quæque ambularent comederent & respirarent, uno verbo imitarentur, quantum fieri potest omnes eorumdem animalium actiones, quorum speciem referrent, ne omissis quidem indiciis, quibus in passionibus nostris exponendis utimur, v. gr. clamarent cum percuterentur, fugerent oborto strepitu &c. Dubium non est, quin iste homo, ubi videret ea, quæ apud nos sunt animalia, judicaret non esse illis verum ullum sensum, ullam passionem veram, qualis nobis inest, sed solum crederet esse automata, quæ a natura effecta essent multo perfectiora, quam ullum eorum, quæ ipse antea fabricasset*. Atqui hoc judicium, utpote hominis nulla opinione falsa præoccupati est fide dignum præ cæteris: ergo.

Resp. nego hypothesim, tum quia est evidenter supra vires humanas hujusmodi machinas efficere; Externam tantum speciem animalium videmus artificio humano picturæ aut sculpturæ exprimi posse, non vero internam structuram: Tum quia talia supponuntur edi phænomena ab his automatis, quæ sunt ea, ex quibus concluditur bruta non esse automata. Quare hypothesis reducitur ad hanc propositionem, mera machina tali modo se movens, quo nulla mera machina se movet, est mera machina, quæ est propositio includens in suismet terminis manifestam contradictionem. Plura contra hunc Cartesii sermonem dabit Sbaraglius (4).

77. II. Obi-

(1) Gr. De caren. sensus.
(2) Aug. Epist. ad Evodi. olim 102. num. 16.
(3) Car. epist. 1. pa 2.
(4) Sb. Anim. brut. di. 1. c. 1. sec. 1.

77. II. Objiciitur, posita tali materiæ dispositione, qualis est in corporibus brutorum cum determinato caloris gradu intra ipsa, consequuntur necessario circulatio sanguinis, separatio & distributio humorum per totum corpus, & ex his illa, quæ dicitur nutritio ipsorum: ergo ad nullas alias operationes brutorum requiritur ulla anima distincta a materia. Consequentiam probat Auctor A. D., quia inquit (1) *alii quivis motus brutorum profecto non videntur requirere plus cognitionis illis, de quibus dixi*.

Resp. conc. an. & nego conseqm. Illa quæ recensentur, non sunt operationes brutorum, sed quæ in brutis fiunt non secus ac in corpore humano, & vulgo dicuntur motus pure naturales: operationes brutorum sunt motus spontanei, & quæ sensationem & appetitum in illis præseferunt, ut comedere bibere irasci pugnare & similia. Cum itaque Adversarius dicit operationes, quas dicimus spontaneas brutorum, non requirere majorem cognitionem, quam naturales, si intendat significare quod opus sit, ut brutum ipsum habeat cognitiones ad utrasque peragendas, sibi ipse contradicit; Neque enim ad naturales opus est ulla animalis cognitione: Sin autem intendat dicere, quod sicuti ad naturales, ita ad spontaneas non requiritur ulla bruti cognitio, incidit in vitium petitionis principii. Assumendo autem ipsius genericam loqutionem de cognitione, sic contra ipsum reformatur argumentum. Operationes naturales brutorum requirunt cognitionem ex parte Auctoris illorum organicæ constructionis: ergo eorumdem operationes spontaneæ requirunt cognitionem ex parte animæ ipsorum brutorum.

78. III. Obiicitur. Ulysses Aldrovandus, & Jo. Sperlingius observarunt muscas, quæ per oleum insectis plerisque inimicum, immo præsens venenum, extinctæ fuerint, reviviscere aspersas calido cinere, vel soli expositas, idemque eodem modo accidere in illis, quæ intra aquam vel alium liquorem obierint suffocatæ, testantur multi recentiores post Aelianum, Plinium, & Isidorum inter veteres. Atqui hoc non potest explicari, nisi dicendo salvam fuisse illorum machinam, & solum ejus motum impeditum ab intrusa aliqua extranea particula in ipsius rotis sive elasteriis, qua per solem dissipata, vel alio modo eruta prosequatur illa jam suos motus ut prius, in quibus proinde motibus consistit eorum quæ dicitur vita: ergo

Resp. Franciscum Redium (2) testari ex experimentis a se infinities ut ipse ait renovatis, comperisse ea omnia fabulas esse. Redii autem dexteritas in instituendis hujusmodi experimentis aliunde nota est, nec comparanda cum illa, quam adhibuerint obiecti auctores, si modo ipsi ea tentarunt, & non potius ex aliorum narratione scripserunt. Similiter inter fabulas haberi debet, apes hyberno tempore mortuas in alvearibus redire ad vitam verno tempore, si soli exponantur aspersæ cineribus fici, quod

(1) A. D. c. 17. pag. 166.

(2) Re.Gener. degl' insett. pag. 68.

quod narrat Columella apud eumdem Redium. Multo autem magis fabulosi sunt serpentes quidam Americani, quos a decem etiam annis mortuos & exficcatos reviviscere, si limosa in aqua radiis solaribus per aliquot dies exponantur, Bouguerius (1) refert sibi narratum ab indigenis: ex quo cum concluserit, si hoc verum est, certum jam est bruta esse mera automata, reponunt Trevoltiani (2), etiam data ea narratione automatismum brutorum semper sibi fore incredibilem: immo temere ex ea dici potest deductum, quandoquidem ex siccis illis cadaveribus poterant prædicto modo erumpere anguiculi, qui angues tandem fierent ejusdem cum jam olim mortuis speciei & magnitudinis, non secus ac ex siccis lumbricis humi positis & aqua aspersis novi pullulant ut inferius dicam, quod explicatur per eorum productionem ex ovis quæ in primis latebant.

79. IV. Objicitur a Chaumeixio (3). Non potest dici, quod bruta habeant sensationes; Nam si haberent, sequeretur dicendum habere etiam eas omnes ideas, quæ in nobis mediis sensationibus nascuntur, quas profecto bruta non habent, ut manifestum est ex eo, quod ipsa bruta, quæ apta inveniuntur ad formandas voces articulatas, ut sunt Psittaci, nunquam utantur, quando opus est, vocibus, quas didicerunt, quia scilicet hujusmodi usus postulat reflexionem quamdam supra ideas jam acquisitas per sensus, & cognitionem aptitudinis vocum ad determinatas ideas aliis significandas, qua reflexione & cognitione carent bruta: ergo dici non potest, quod bruta habeant aliquas cognitiones, seu non sint puræ machinæ.

Resp. nego ans. Quod dicitur in ejus probationem nullo modo sequitur, & continet etiam falsum suppositum. Imprimis ex hoc antecedenti, bruta non secus ac nos sentiunt, non sequitur hæc consequentia: ergo bruta habent omnes cognitiones, quas nos occasione sensationum habemus; Nam sentire est efficere sibi ideas occasione impressionis factæ immediate in sensibus, quod requirit animam præditam vi cognoscendi. At habere cognitiones, quas nos occasione sensationum habemus, est efficere ideas per reflexionem supra primas, quod requirit majorem vim cognoscendi. Habet brutorum anima primum attributum, quod est quid minus, caret autem secundo, quod est quid longe majus. Neque hoc admirationem ullam potest afferre; Nam suadetur quidem esse aliquo modo perfectionem minorem in eo, qui præseferat majorem: non tamen viceversa esse majorem in eo, qui habet minorem. Deinde falso supponit adversarius psittacos didicisse significationes vocum, quas proferunt, quasi vero qui optime novit legere, acquirat cognitionem significationis omnium vocum, quas legendo profert ex hoc ipso, quod proferat, etiamsi pertineant ad linguam, quam numquam didicit.

PRO-

(1) Bou. Fig. de la terr.
(2) Tr. ann. 1749. ar. 141.
(3) Cha. Prejug. to. 7. divis. 3. ar. 2. c. 1.

PROPOSITIO II.

Anima brutorum non consistit in materia tenuissima.

ARTICULUS I.

De Adversantibus propositioni.

80. X iis, qui dixerunt animam brutorum consistere in materia tenuissima, alii ignem, alii aerem, alii sanguinem, alii tandem nihil determinarunt. Prima de igne opinio vetus est, quam Aristoteles jam rejecit, ipsiusque praecipuum fundamentum nullum esse plane demonstravit (1) *Nonnulli*, inquit, *statuunt importune animam esse ignem, cujus rei caussa est, quod ad exequenda animae officia calor omnium maxime administrandi vim obtinet. Igitur animam esse ignem arbitrari simile est, atque si serram aut asciam fabrum esse ideo arbitreris, quia opus non nisi his efficiatur.*

81. Haec interea placuit nostris temporibus Bernierio, qui tamen non in igne quocunque, sed in flamma quadam animam brutorum cum Gassendo (2) reponit, & pluribus conatur suadere: sed unice deductis ex analogia, quam invenit in quibusdam flammae & vitae brutorum phaenomenis. Atque his fretus non dubitat tribuere (3) huic flammae prout est in brutis cognitiones & veras argumentationes. Eadem placuit Thomae Willis, qui copiose de anima brutorum agens statuit eam esse (4) *corpoream & ignem*, ignem definiens (5) aggeriem particularum subtilium, contiguarum, & in motu pernici existentium, quae continuo renovatur per aliquarum decessum, & aliarum genesim. Atque cum observet necessario distinguenda esse bruta perfectiora ab imperfectioribus, circa haec Cartesianus est; ea enim considerat tamquam machinas hydraulicas, quae (6) *sine musico dirigente, valvulis certa lege ac serie, mero fluvii cursu reclusis, gratissimam harmoniam creant.* At circa perfectiora recedit a Cartesio, negans eodem modo ipsorum operationes posse explicari. Porro eorumdem animis corporeis & igneis tribuit potentiam cognoscendi sensibilia, quam distinguit in potentiam sentiendi imaginandi recordandi, singulas collocans in determinatis (7) cerebri partibus.

82. Ea-

(1) Ar. Part. Anim. l. 2. c. 7.
(2) Ber. A brc. do Gaffe. tr. 5. l. 6. c. 3. n. 5.
(3) Id. Ibid. tr. 6. l. 3. c. 2.
(4) Wi. De Anim. brut. c. 2.
(5) Id. ibid. pag. 7.
(6) Id. ibid. ca. 6.
(7) Id. ibid. ca. 4. & 6.

82. Eadem tandem placuit Honorato Fabri, qui (1) statuit animam brutorum consistere in igne, prout est intra ipsorum corpora organica. ipsius rationes sunt primo analogia a corporibus elasticis desumpta; Sicuti enim hæc tali inflexione vel compressione posita determinantur ad certos motus, ita organa & sensus animalium affecta ab externis objectis efficiunt certos motus. At hæc est ipsissima Cartesii doctrina, adeoque non apparet, cur igni potius tribuat esse animam sentientem, quam aliis elementis. Deinde sic arguit. *Cum Scholastici facultatem sentiendi tribuunt entitati cuidam absolutæ corruptibili, non video, cur entitati ignis, quæ secundum se est incorruptibilis, & multiplici virtute gaudet, tribuere non liceat; Nempe ipsi admittunt, quod nemo intelligit, ego adstruo, quod facile intelligi potest.* At falsa est Scholasticornm opinio, saltem prout ab ipso videtur accipi: falsum ullam esse propriam virtutem igni, aliam ab instrumentali: & falsum intelligi facile posse quod ipse dicit.

83. Venio ad opinionem, quæ est animam brutorum esse aut ignem aut aerem. Hanc docuit Auctor libri *De Spiritu & Anima*, tanti olim habitus, ut insertus fuerit in opera S. Augustini, a quibus tamen postmodum rejectus fuit in separatum locum ab editoribus Lovaniensibus, & deinde a Maurinis ex argumentis, quæ omnino demonstrant Augustinum non esse illius auctorem. In hoc autem libro habetur, (2) *Spiritum corporeum voco aerem, vel potius ignem, qui pro sui mobilitate videri nequit, & corpora interius vegetando vivificat: quædam autem vegetat & vivificat, ut omnia bruta animantia*. Alia quædam citat ex hoc auctore ignotus A. D, in quo ex suppositione, quod sit S. Augustinus, mirifice oblectatur (3).

84. Venio ad opinionem, quæ est animam brutorum esse ipsorum sanguinem. Imprimis hanc Philo Hebræus, omnium consensu vir doctissimus proposuit tamquam revelatam in Scripturis. Etenim in libro, *De eo, quod deterius potiori insidietur dicit, Multis in locis lex essentiam animæ pronunciat sanguinem*. Franciscus Vallesius (4) inter alios Philonem in hoc ex professo impugnavit. Opinionem hanc novit Cartesius, ipsiusque fundamentum, scilicet de brutis scriptum esse, (5) *Anima omnis carnis in sanguine est*. Quare non solum non exclusit nomen animæ attributum brutorum sanguini, qui (6) *in corde calefactus & attenuatus in spiritum ab arteriis per cerebrum in nervos & musculos se diffundat*: sed de allato testimonio, aliisque similibus dixit, ea (7) *multo clariora videri quam illa, quæ afferuntur in quasdam alias opiniones, quæ damnatæ sunt a quibusdam ob id tantum, quod Sacræ Scripturæ contradicere videantur*. Hæc ipsa Scripturæ verba afferunt Fortunatus a Brixia (8), & Ber-

(1) Fa. Gener. anim. l. 5. pro. 60.
(2) De Spi. c. 33.
(3) A. D c. 28.
(4) Va. Sacra phil. c. 5.
(5) Lev. c. 17. v. 14.
(6) Car. Epist. pa. 2. ep. 8.
(7) Id. Ibid. n. 2.
(8) Br. Phys. part. tr. 3. di. 2. sec. 4.

Bernardinus Vestrini (1) post alios citatos a Thoma Bartholino (2) tamquam evidentem pro meris automatis demonstrationem. Sed a communi interpretum sensu inferius ostendam, horum acceptionem aberrare.

85. Sunt qui pro hac anima in sanguine posita producunt etiam S. Basilium, cujus sunt hæc, (3) *Cum juxta id, quod scriptum est, animalis cujusque anima sanguis ipsius sit, jure ac merito est quid terrenum anima brutorum*. Sed si consulatur totus contextus, patebit S. Doctorem dicere animam esse quid terrenum & sanguinem, quantum ad originem, non quantum ad essentiam. Censuit enim datam esse a Deo sanguini vim saltem instrumentalem producendi animas brutorum. Quæ opinio reducitur ad illam Peripateticorum, qui animam brutorum volebant esse formam quamdam substantialem eductam de potentia materiæ, de qua inferius disseram.

86. Verius affertur Auctor libri *De Cognitione vera vitæ*, qui pariter inter opera S. Augustini habetur, sed Maurini suadent ipsum pertinere ad Honorium Augustodunensem, sæculi 12 auctorem, quod ignoravit Coltellinius (4) qui venditat tamquam Augustini verba, quæ jam profero, in quibus tamen una cum sanguine aer postulatur ad completam huius animæ constitutionem, (5) *Vita*, inquit, *brutorum animalium est spiritus vitalis constans de aere & sanguine animalium, invisibilis sed sensibilis, memoriam habens, intellectu carens, cum carne moriens, in aere evanescens*.

87. Venio ad ultimam opinionem, quæ non determinat materiam, quæ animam brutorum componat, nisi quantum ad attributum generale maximæ tenuitatis. In his sunt qui illam constituunt in spiritibus animalibus. Nam hos Cartesius dixit esse (6) *aerem quemdam, sive auram subtilissimam*, quæ separatur a sanguine delato per arterias ad cerebrum: Anonymus Physiologus apud Trevoltianos (7) descripsit tamquam lympham quamdam pellucidam e sanguine erumpentem, quam calor attenuat, & frigus condensat: alii appellarunt fluidum nerveum, alii ætherem quemdam mobilem & elasticum. In hac sententia habemus Antonium Le Grand, (8) *Continuo*, inquit, *spirituum animalium affluxui, animæ corporeæ nomen attribui potest, quippe animæ sensitivæ essentia in vi motrice dumtaxat consistit*: habemus etiam G. Lamyum in opusculo Gallice scripto, *Explicatio mechanica animæ sensitivæ*, Parisiis edito ann. 1678, ubi ait (9) *animam sensitivam esse fluidum maximæ tenuitatis, semper in motu, cujus receptaculum est cerebrum: & nervi qui inde derivantur, sunt totidem canales, per quos illud fluidum dispergitur per totum*

F corpus

(1) Ve. Lett. teolog. pa. 1. lett. 14.
(2) Bar. De Sanguine vetito.
(3) Bas. Hexam. hom. 8. n. 2.
(4) Co. Lett. di Rac. pref.
(5) Hon. c. 5.
(6) Ca. De homine pa. 1.
(7) Tre an 1756. ar. 75. pag. 1796.
(8) Gr. De Caren. sen lue §. 41.
(9) La. pa. 1. c. 5.

corpus. Huc pertinent quotquot cum citatis a Brixia & Vestrino arguunt ex Scriptura, quæ de Sanguine meminit, & ex auctoritate S. Augustini desumpta ex supposititiis libris, *De Spiritu & Anima*, & *de Cognitione vera vitæ*, in quibus fit mentio de aere & igne. Videant alii, cui ex his opinionibus subscribat vel suffragetur Carolus Paroni, qui italice anno 1775 edidit Utini *Anima brutorum spiritualis impugnata, & per principia physices demonstrata materialis*, ut referunt Ephemerides liter. romanæ, quibus ex integro totus liber displicuit tamquam nihil suadens propositum.

ARTICULUS II.

Argumenta pro propositione.

88. I. PRobatur sic. Opinio docens animam brutorum consistere in materia tenuissima recidit in sententiam de brutis meris machinis nuper rejectam: ergo hæc etiam concidit. II. Probatur ostendendo infirmitatem rationum, quibus Adversarii innituntur.

89. I. Arguunt. Scriptura satis aperte insinuat per diversum loquendi modum de creatione brutorum, ac de creatione hominis, hunc quidem constare ex corpore materiali & anima immateriali: bruta vero constare omnino etiam quantum ad animam ex sola materia: ergo. Ans probant, quia Scriptura loquens de brutis dicit, *omnem animam viventem atque motabilem produxisse aquas, & omne volatile secundum genus suum, & produxisse terram animam viventem in genere suo, jumenta & reptilia & bestias terræ secundum species suas*: Loquens vero de homine dicit (1) *Formavit Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*. Vallemontius (2), Coltellinius (3) aliique hoc argumentum adhibuerunt, idemque tanti fecit Fortunatus a Brixia (4) ut censuerit esse corrigendum auctorem dissertationis, quam non vidi, *de anima brutorum secundum sanioris philosophiæ canones vindicata*, qnia in dialogo 6. conatus est suadere, *momenta e sacris literis contra animam brutorum immaterialem derivata non satis esse decretoria*.

90. *Resp. nego ans*. Verba quæ afferuntur ad ejus probationem non habentur eo modo in Scriptura, sed illo, qui non favet Adversariis; Nam primo dicitur, (5) *Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum*. Ubi Deus dicitur caussa efficiens brutorum: aquæ autem fit mentio ad significandam caussam materialem corporum dumtaxat, non vero animarum brutorum. Quod pariter dico ad reliqua, quæ objiciuntur; Nam illis statim subjungitur, *& fecit Deus bestias terræ*. Con-

(1) Gen. 2. v. 7.
(2) Va. Elem. de l' hist. l. 5. c. 1.
(3) Co. not. ad epis. 1. Racin.
(4) Bri. Phys. n. 4446.
(5) Gen. 1. v. 21.

Concludam modum loquendi de creatione hominum diversum ab illo, quo Scriptura loquitur de creatione brutorum, edocere nos, originem tantæ diversitatis inter homines & bruta non solum quantum ad animam, sed etiam quantum ad corpus esse singularem Creatoris in nos beneficentiam.

91. II. Arguunt. In Levitico (1), & in Deuteronomio (2) Deus prohibuit comedere sanguinem brutorum, hanc reddens rationem, *quia anima carnis in sanguine est*: ergo anima brutorum est quid materiale.

Resp. conc. ans & nego consequm, quam nemo non repudiabit, qui advertat in quo sensu scriptum sit animam carnis esse in sanguine, scilicet ut notant Interpretes, non in sensu proprio, quatenus sanguis sit caussa formalis animæ brutorum, sed in sensu figurato, quia est quid pertinens ad animalis perfectionem, ut sint qui eumdem numerant inter partes essentiales, quatenus sicuti animalia, quibus proprium est habere caput, eo resciffo non vivunt, eoque læso miserabiliter vivunt, ita quæ sanguine a natura prædita sunt, eo exhausto jam sunt cadavera, eoque importune diminuto minus deinceps robusta & sana sunt. Quare Michael Etmullerus sanguinem dicebat esse *vitam in ipsa vita*, *& virium ac salutis fontem*, certe est præcipuum & generale instrumentum, quo anima unita corpori indiget ad vitæ conservationem, & ad operationes suas, (3) *per ipsum* enim juxta S. Augustinum *maxime in carne vivitur*. Quare permulti præclarissimi medici, quos citat Jo. Paulus Ferrari (4) eos condemnant, qui curant omnes fere morbos sanguinis detractione.

92. Dici etiam potuit animam carnis esse in sanguine, quia est argumentum animæ adhuc retinentis suam cum corpore unionem, juxta illos. qui cum Pitcarnio (5) Hoffmanno (6), & Cheyne (7) vitam definiunt esse circulationem sanguinis a corde pulsi per arterias, & per venas reducti, quæ est definitio longe melior ea, quæ dicit esse attractionem & expulsionem aeris alternatim factam per os vel nares animalis. Hæc enim non habent locum in fœtu, qui in utero matris sine respiratione vivit, quia ibi in eo fit sanguinis circulatio ope foraminis ovalis inter dexteram & sinistram cordis auriculam, cujus usus a nativitate cessat, quoniam aere in viscera nati irrumpente incipit respiratio.

93. Præsupposito sensu figurato intelligitur etiam sensus mysticus in eo situs, quod sanguinem Deus voluerit sibi offerri in expiationem peccatorum, quemadmodum ipsa Scriptura apertissime declarat, quæ postquam dixit, anima carnis in sanguine est, statim subjungit, *& ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit: Idcirco dixi filiis Israel, Omnis anima ex vobis*

(1) Le. c. 17. v. 11. & 14.
(2) Deu. c. 12 v. 23.
(3) Au. qu. 57. in Levit.
(4) Fe. Risposta a Lionardo Albertelli, Firenze 1742.
(5) Pi. Elem. medi. def. 1.
(6) Ho. Medic. syst. præf.
(7) Ch. Princ. filoso. c. 6. n. 34.

bis non comedet sanguinem. (1) Nam, *quia*, inquit Pererius, *propter admissa crimina debuisset sanguis & vita hominis profundi & perdi, clemens Dominus simul & justus pro vita & anima hominis jussit vitam & sanguinem animalium sibi offerri*. Quare iterum S. Augustinus loquens de objecto testimonio dixit (2) *posse interpretari praeceptum illud in signo positum*. Hæc quæ habent Interpretes in hunc Scripturæ locum vel dissimulavit vel ignoravit auctor A. D, qui eo vult demonstrari animam brutorum esse materialem (3), juxta inquit regulam Augustini, quod in sensu litterali accipienda sunt verba scripturæ, ubi nihil obstat.

94. Iis qui instant apud Lactantium: (4) *Anima, sanguine aut per vulnus effuso, aut febrium calore consumpto, videtur exstingui: ergo in materia sanguinis animæ ratio ponenda est*, reposuit jam ipse idem *conc. ans, & nego consequam*, quæ visa sibi est non aliter descendere, quam quæ concludat, *lumen oleum esse, quoniam consumpto oleo lumen extinguitur*.

95. III. Arguit Malebranchius. (5) Juxta D. Augustinum *supra mentem hominis nihil est præter Deum solum: nihil vero infra præter corpora*: ergo saltem juxta S. Augustinum anima brutorum est materia.

Resp. nego ans. S. Augustinus loco, quem Malebranchius citat, non dicit de mente hominis, eam nihil habere supra se nisi Deum, & jure cum supra se habeat mentes Angelorum: sed illud dicit de mente creata in genere. Præterea de iis, quæ sint infra mentem, ne verbum quidem ibi facit Augustinus. (6) *Nihil est*, sic ille, *potentius illa creatura, quæ mens dicitur rationalis, nihil est sublimius: quicquid supra illam est, jam Creator est*.

96. IV. Arguit Fortun. a Brixia. (7) Sunt multa animalia & insecta, quæ toto hyemali tempore jacent perinde ac mortua: primo autem vere reviviscunt. Sed hoc bene explicatur per animam sitam in tenuissima materia, quæ per hyemem est torpida, & vere adventante agitari incipit, non vero per animam, quæ sit spiritualis quædam substantia, vel aliud quid, quam materia: ergo.

Resp. conc. mai. & nego min. Nam dicere ignis est quid mobile, & quod alia commovet: ergo brutorum operationes sunt ab igne, non est afferre bonam de illis explicationem. Contra vero dicere, anima semel conjuncta corpori, in ipso persistit, donec ipsius primaria organa corrupta non sunt, ut caput & cor, licet quidquam visibiliter non operetur propter aliorum organorum imperfectionem vel impedimentum, & proinde fieri possit, ut animal adhuc vivum appareat mortuum, est argumentum, in quo nihil apparet male deductum, quin immo frequenter de hoc certi sumus in iis, qui deliquia vehementiora patiuntur.

PRO-

(1) Pe. in Gen. I. 14. Dis. 2.
(2) Aug. co. Adiman. c. 12.
(3) A. D. c. 28. in fine.
(4) La. de Opifi. c. 17.
(5) Ma. Inqui. veri. in præf. sub init.
(6) Aug. tr. 23. in Ioan.
(7) Br. Phy. partic. n. 441. & seq.

PROPOSITIO III.

Anima brutorum non est forma substantialis materialis in sensu Peripateticorum.

ARTICULUS I.

Declaratio propositionis.

97. Eripateticis contradicit hæc propositio, quibus recenter suffragatus est Buffonius, ut alibi (1) adnotavi, & Noghera (2) etiam advertit, arguens pro illis ex opinione eorum, qui attractionem Neutonianam, electricitatem, aliasque vires, a quibus sunt effectus chymici, inter qualitates numerant actuosas, quæ insunt materiæ. Peripateticorum autem doctrina est, brutorum animas non quidem esse materiam, sed esse formam quamdam eductam de potentia materiæ (3) *a virtute aliqua corporea*, ut ait S. Thomas, scilicet vel virtute seminis per traducem, vel virtute corporum cælestium, vel ut idem alibi tenet (4) utrisque simul concurrentibus, quæ una cum corpore animalis unita constituit ejusdem substantiam completam. Ut intelligatur hæc doctrina, opus est meminisse Peripateticos statuere omnem substantiam sensibilem componi ex duabus substantiis, quarum altera vocatur materia, altera forma substantialis: sed prima imperfectior, quia mere passiva, secunda perfectior, quia vi activa prædita actuat, ut ajunt, materiam, eamque ad certam speciem determinat.

98. Distinguunt autem hujusmodi formas in spirituales, atque hæ sunt animæ hominum, & materiales, quæ sunt reliquorum corporum etiam animatorum. Cum multas assignent differentias inter utrasque, hæc insignis est, quod formæ spirituales existunt per creationem, nec deficiunt nisi per annihilationem, quorum utrumque pertinet ad Dei potentiam: at formæ substantiales materiales existunt per eductionem ex potentia materiæ, & deficiunt per destructionem: quæ eductio & destructio dicuntur fieri passim vi creaturarum. Postulantibus quid per illos significet creare & educere, annihilare & destruere, respondent creare significat facere aliquid ex nihilo per actionem nullo modo depen-

(1) De ideis nu. 156. edit. 2.
(2) No. Rifle. 10. su la natur. uman. pag. 132.
(3) Th. 1. p. qu. 75. ar. 6. ad ..
(4) Id. Ibid. qu. 91. ar. 2. ad 2.

dependentem a materia sustentante id, quod fit, seu brevius significat facere aliquid ex nihilo sui & subjecti: educere vero significat facere aliquid ex nihilo quidem sui, sed non subjecti, hoc est facere per actionem dependentem a materia sustentante id quod fit. (1) *Concurrit*, sic Suarez, *materia ad effectionem formarum substantialium, quia sicuti formæ istæ esse non possunt, nisi affixæ materiæ, a qua sustentantur, ita nec fieri possunt, nisi earum effectio in eadem materia sustentetur. Et hæc est propria differentia inter effectionem ex nihilo, & ex aliquo.*

99. Quod pertinet ad contraria nomina: Annihilare per ipsos significat reducere aliquid in nihilum sui & subjecti, hoc est reducere in nihilum per actionem non affixam ulli materiæ illud sustentanti: destruere autem significat reducere aliquid in nihilum sui sed non subjecti, hoc est per actionem affixam materiæ illud sustentanti. In his explicationibus eductionis ex materia & destructionis, illud tenendum est, formas substantiales, quæ per eductionem fiunt, vel per destructionem e medio tolluntur, non esse partem ullam materiæ, & habere entitatem substantialem sibi propriam, de quo ipsi pariter hic nos admonent (2) vetantes, nequis hinc inferat eas fieri omnino ex nihilo, seu per se primo, ut ajunt; Hoc enim dici voluit de iis, quæ ita fiunt, ut omnino per se subsistant (3), non de illis, quæ subsistunt in aliquo, cujusmodi sunt formæ, quæ dum fiunt, existunt in materia. Ferrariensis hoc sic explicat, (4) *Forma non creatur, licet ex materia non fiat, quia ipsa non est id quod fit, sed est id quo compositum fit, & consequenter nulla productio ad ipsam primo terminatur.*

100. Hæc quæ de formis substantialibus in genere commemoravi, pertinent per Peripateticos etiam ad animas brutorum, quæ sunt species hujus generis, quas distinguunt ab omnibus aliis per attributa ipsis propria, ex quibus præcipua sunt posse sentire, discernere, imaginari, æstimare, recordari. Totam in hac re ipsorum philosophiam, quæ tempore S. Thomæ, adeoque (5) *decimo tertio nominis christiani sæculo ad medium usque sæculum proxime elapsum pacifice in scholis regnavit* ut ait Monteiro, enucleate idem proponit, cujus auctoritate nequis abutatur, meminerit id ab eo vetitum, dum monuit (6) *Sanctos utentes his, quæ in Philosophia didicerunt, non esse majoris auctoritatis, quam dicta philosophorum, quos sequuntur.* Quin immo sicuti ille ibidem non vult, ut quis credat (7) *Basilium & Augustinum, & plures Sanctorum sequutos in philosophicis, quæ ad Fidem non spectant, opiniones Platonis*, has habuisse pro veris: ita, quod plane sequitur ex hac S. Doctoris doctrina, & ab aliis, ut Petro Sylvano Regis (8) jam observatum fuit, ne nos

(1) Su. Metaph. di. 15. sec. 2. n. 13.
(2) Id. ibid. sec. 4. n. 3.
(3) Id. Ibid. n. 4.
(4) Fer. in 3, co. Gent. c. 69. §. Adverte
(5) Mo. Phys. viventium n. 98.
(6) Th. in 2. di. 14. ar. 2. ad 1.
(7) Ibid. in corp. artic.
(8) Re, Usag. de la Rais. Avvertis.

nos quidem debemus existimare S. Thomam credidisse veras opiniones peripateticas, quibus perpetuo utitur, & hanc in particulari, de qua jam dico, quam ipsemet haurire se profitetur (1) ab Avicenna Arabio philosopho, qui uno & amplius sæculo ante ipsum floruit.

101. Imprimis igitur dicunt Peripatetici animas brutorum esse formas ipsorum materiales eductas de potentia materiæ: (2) *Anima sensibilis*, sic S. Thomas, *& vegetabilis de potentia materiæ educuntur, sicut & formæ aliæ materiales*, quod sæpe alibi (3) repetit, idemque significavit S. Bonaventura dum animam brutorum appellavit (4) *formam, quæ substantificatur in materia transmutabili*. Deinde easdem docent præditas esse quinque distinctis aliquo modo potentiis, sentiendi scilicet, discernendi, imaginandi, æstimandi, recordandi, harumque exercitio destinata esse totidem distincta organa in ipsorum corporea machina illis similia, quæ etiam in nobis docebant esse, ut alibi (5) exposui. Potentiam igitur sentiendi utpote aptam ad quinque diversi generis sensationes visum auditum olfactum gustum & tactum, constituunt in quinque externis sensibus, oculis auribus naribus palato, & totius corporis cute, quoties hæc organa recipiant species sensibiles singulis proportionatas, quas etiam vocant formas, quæ ab objectis credebantur circumquaque emitti vel produci. Pro aliis potentiis discernendi imaginandi æstimandi & recordandi alia quatuor organa materialia visi sunt sibi videre intra ipsum corpus animalis, quæ vocant sensus internos.

102. Ac primus dictus fuit sensus communis, in quem conveniant omnes sensibiles species, quæ a singulis sensibus externis recipiuntur. Ratio hunc statuendi est, quia debet esse aliquod medium, per quod animal discernat in sensibilibus diversas rationes, quæ in illis esse possunt, quemadmodum per particulares sensus externos percipit certas sensibilium rationes. Itaque per oculos discernit objecti colorem, non vero an sit dulce, (6) *discernere enim album a dulci non potest neque visus neque gustus, quia oportet, quod qui inter aliqua discernit, utrunque cognoscat. Unde oportet ad sensum communem pertinere discretionis judicium ad quem referantur, sicut ad communem terminum omnes apprehensiones sensus*. Juxta hanc doctrinam de sensu communi, qui recipit sensationes seu impressiones factas in sensibus externis, & per quem animal discernit, a quo externo sensu singulæ proveniant, dici quidem potest, quod bruta sentiant se sentire, quemadmodum consequenter ad hoc systema dixit S. Augustinus, (7) *Arbitror*, sic ille, *esse manifestum, sensum illum interiorem, non ea tantum sentire, quæ acceperit a quinque sensibus corporis, sed etiam ipsos ab eo sentiri; Non enim aliter bestia moveret*

(1) Th. 1. p. q. 78. ar. 4.
(2) Id. de Poten. qu. 3. ar. 11.
(3) Id. Quodlib. 9. ar. 11. & quodlib. 11. ar. 5.
(4) Bo. in 2. dis. 19. ar. 1. q. 2. ad 3.
(5) De ideis a nu. 250. edit. 2.
(6) Th. 1. p. qu. 78. ar. 4.
(7) Aug. de lib. arbit. l. 2. n. 10.

veret se vel appetendo aliquid vel fugiendo, nisi se sentire sentiret: non vero necesse est tribuere brutis conscientiam suarum cognitionum, seu reflexam cognitionem suarum sensationum, sicuti ex citatis verbis credit Brixia (1) S. Doctorem existimasse. Aliud est enim dicere, brutum sentit se mulceri in hac vel illa corporis parte, quod verum est, & verba illa significant: aliud est dicere, brutum reflectit supra suas sensationes, & concludit, hæc & non alia pars mei corporis hic & nunc tali modo afficitur, quod non cadit in bruta, utpote superans sphæram potentiæ cognoscitivæ brutorum, quæ non extenditur ad objecta spiritualia, cujusmodi est perceptio reflectens supra directam: & proinde ab illis verbis non significatur.

103. Secundus ex internis sensibus dicitur Phantasia & etiam Vis imaginativa, ejusque sedes collocatur intra caput animalis. Hic destinatus creditur ad retinendas & conservandas prædictas species sensibiles, vi quarum animal movetur in objecta semel apprehensa, etiamsi hæc ab illo absint, eodem vel simili modo, ac cum sibi adessent. Quare est (2) *quasi thesaurus quidam formarum per sensum acceptarum*. Necessitatem hujus organi phantasiæ distincti ab illo sensus communis probant ex eo quod (3) *recipere & retinere reducuntur in corporalibus ad diversa principia: Nam humida bene recipiunt, & male retinent, e contrario autem est de siccis: Unde oportet esse aliam potentiam* (sensum communem), *quæ recipiat species sensibilium, & quæ conservet* (phantasiam).

104. Tertius dicitur Vis æstimativa, (4) *cui medici assignant mediam partem capitis*. In hoc ponunt vim cognoscendi rationem boni & mali sensibilis, quæ insit objectis; Nam eo uti animal volunt, dum apprehendit conducentiam alicujus operationis ad certum finem, seu ut ajunt intentiones. Nam (5) *necessarium est animali, ut quærat aliqua vel faciat, non solum quia sunt convenientia ad sentiendum, sed etiam propter aliquas alias commoditates, sive nocumenta. Sicut avis colligit paleam, non quia delectat sensum, sed quia est utilis ad nidificandum. Necessarium est ergo animali, quod percipiat hujusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior*. Expressius hanc doctrinam in opusculo *De Potentiis animæ* sic exponit, (6) *Æstimativa est virtus apprehendens de sensato, quod non est sensatum, sicuti ovis inimicitias lupi; Hoc enim non facit per oculum, sed per aliam virtutem, quæ est in brutis hoc, quod est intellectus in hominibus: sicut enim aliquis cognoscit per intellectum, quod non cognoscit per sensum, licet non cognoscat nisi accipiendo a sensu, ita æstimativa, licet inferiori modo*.

105. Quartus tandem dicitur memoria, in quo tamquam in scrinio con-

(1) Br. Phys. parti. n. 4447.
(2) Tho. 1 p qu. 78. ar. 4.
(3) Id. Ibid.
(4) Id. Ibi.
(5) Id. ibid.
(6) Id. de Pot. c. 4.

conservantur prædictæ intentiones. Hunc animali tribuunt, ut quæ sibi convenire aut nocere expertum est, procuret aut fugiat; Nam (1) *principium memorandi fit in animalibus ex aliqua intentione, puta quod est nocivum, vel conveniens: & ipsa ratio præteriti, quam attendit memoria, inter hujusmodi intentiones computatur*. Cum plerique statuerint hujus philosophiæ alumni hujusmodi sensus internos inter se realiter distinctos, non defuerunt aliqui, qui horum aliquos ab aliis distingui docuerunt solum per rationem. Quare ut habet Arriaga (2), & Conimbricenses erudite ostendunt, (3) alii quidem *redigunt ad tres, ad duos alii, alii denique ad unum, ut nulla sit sententia sine patrono*, quod etiam alibi (4) adverti.

ARTICULUS II.

Argumenta pro propositione.

106. Dicere animam brutorum esse eorum formam substantialem materialem, quæ educitur per vires creatas ex potentia materiæ, etsi nihil sit materiæ, ex qua educitur, est proferre verba, quæ vel involvunt repugnantiam, vel carent sensu, vel siquem habeant, non potest suaderi: ergo non est dicendum animam brutorum esse formam substantialem materialem. Ans probatur primo quantum ad repugnantiam, quam ea verba involvunt, quia ex iis tandem concluditur creari entitates aliquas a creaturis; Nam aperte dicitur, entitatem, quæ est in hujusmodi formis, non esse quicquam illius entitatis, quæ est in materia. Proinde contra omnem rationem & religionem tribuitur rebus quibusvis vilissimis attributum Deo soli conveniens. Atque reipsa Suarez (5) post S. Thomam (6) refert aliquos ex veteribus philosophis aperte admisisse hujusmodi formas creari a principio supernaturali, quos imitatos esse alios ex longe minus antiquis testatur Vlloa (7). Et Auctor, seu Auctores libri *Ars cogitandi* sic arguunt, (8) *Productio formarum creationis quædam species est: ergo non dantur formæ substantiales* in sensu peripatetico. Hoc testimonium addo illis, de quibus meminit idem Suarez (9), quæ propter hujusmodi difficultatem ostendunt jam olim ab aliis rejectas fuisse hujusmodi formas.

107. Occurrit etiam Cudvvorthius (10), qui ex hoc ipso, quod crearentur & annihilarentur veræ entitates a viribus creatis credit a tota

G vete-

(1) Id. ibid.
(2) Arr. de Anim. di. 5. sec. 4.
(3) Co. de Anim. c. 3. q. 1. ar. 1.
(4) De Ideis. n. 256. edit. 2.
(5) Su. Metaph. di. 15. se. 2. n. 9.
(6) Th. Quæ. disp. de Creat. ar. 11. Id. in 2. Se. dis. 18. ar. 3.
(7) Ull. Prodr. dis. 4. c. 9.
(8) Ars. pa. 3. c. 19. §. 2.
(9) Sua. ubi supra n. 2.
(10) Cu. Syst. Intel. c. 1. §. 28.

veterum philosophorum familia illas exclusas fuisse, qui si fides eidem detur, ad hunc finem tantopere inculcarunt illud principium, *De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti*, non ut Deo coæternam materiam statuerent, quemadmodum vulgo creditur, sed ut ex materia ab illo creata novas rerum omnium formas deinde fieri docerent. In qua interpretatione singularem non esse Cudvvorthium alibi (1) ostendi. At singularis enim vero est Antonius Genuensis, qui credit Peripateticam doctrinam de eductione formarum accedere ad Spinosismum, (2) *sententia*, inquit, *Aristotelis ex materiæ sinu & potentia mundanas educi formas, Spinosismo mihi videtur similis: In hoc enim eodem modo omnia omnibus modis ex æternæ substantiæ sinu emanant.*

108. Repugnantia eductionis seu creationis hujusmodi animæ brutorum de potentia materiæ urgetur quam maxime ex eo, quod hæc anima ab ipsis Peripateticis dicatur esse cognoscitiva, seu ut ajunt sensitiva. Quare tenent posse e materia educi quid cognoscens, & quidem per (3) *vim* ut credidit Canus *elementorum & corporum quæ ex elementis constantur*, atque quia hanc vim non inveniunt in corporibus confugiunt ad cælestia, quasi vero inquit contra illos Sbaraglius (4) *astra & cæli efficere valeant id, quod ipsa non habent, seu producere & tradere brutis principium cognoscendi, quo ipsa carent ...., aut prædictæ animæ ex illis traduci possent in bruta* in hypothesi veterum, qui, ut de Stoicis refert Cicero, dicebant (5) *solem animantem esse & reliqua astra, & præstantem in illis esse intelligentiam, & motum voluntarium*. Quæ opinio certo jam falsa habetur, & juxta Nicephorum (6) damnata etiam in Origene a quinta Synodo generali, Constantinopolitana secunda; cujus tamen canon, inquit Pallavicinus (7) S. Thomæ ætate a reliquis abscesserat, cum dixerit, in quæstione de animatione Cæli, (8) *Ad Fidei doctrinam nihil pertinet, sive sic sive aliter dicatur.*

109. Quod si Peripatetici illis verbis excludant omnino sensum creationis, sicuti certe excludunt, jam dico esse verba sine sensu. Nam sic aperte profitentur jam passim Philosophi. Ex his Gometius Pereira hæc habet, (9) *De eductione formæ ex potentia materiæ neminem huc usque legi, qui scopum attigerit*: & deinde neglectis aliorum explicationibus meminit de illa, quæ tum circumferebatur, & est hujusmodi, (10) *Aliquid esse in potentia materiæ, quod idem est cum educi de potentia illius, nihil aliud est, quam dependere a materia in fieri & esse, non in genere caussæ efficientis, sed in genere caussæ materialis, quod est genus caussandi passive*:

(1) De Mundo nu. 213.
(2) Ge. metaph. p. 2. app. §. 17.
(3) Can. Loc. Theo. l. 12. c. 15 conc 1.
(4) Sb. Ani. brut. di. 3. c. 3. sec. 2. pag. 513.
(5) Ci. de nat. Deor. l. 2. n. 39.
(6) Ni. Hist. Eccl. l. 17. c. 27.
(7) Pa. Del Bene. l. 3. c. 25.
(8) Th. co. Gent. l. 2. c. 70.
(9) Pe. Ant. Marg. §. cum toties pag. 459.
(10) Id. Ib. §. Relata pag. 459.

fice: qua explicatione relata subjungit, *nulla alia impugnatione indigere, quam quæ in verbis relatis includitur*, etsi deinde eam fusius confutet. Robertus Boyle diligens hujus doctrinæ examinator pronunciat, (1) *Modus, quo formæ educuntur e potentia materiæ, est inextricabilis*. Gassendus ait, (2) *Aristotelei dicere solent educi formam ex materia: id tamen dicunt, quod captum fugit, & verba mera sunt*, idemque alibi repetit (3), ubi ex professo recenset & refellit quascunque hujus eductionis explicationes noverat afferri. Bernierius eumdem sensum describit, (4) *Id quod significent per hæc verba forma educitur ex potentia materiæ est mera fictio*. Joannes Saguens dicit (5), *Mihi semper ineptissimus visus est modus ille loquendi, formam substantialem educi e materia per receptionem in illa, nec educi nisi quando recipitur. An non ineptissime loqueretur, qui diceret vinum educi e lagena, quando immittitur?* Malebranchius fatetur, (6) *videri sibi æque difficile esse educere e materia substantiam, quæ in ea non est, aut in eam introducere, ac sit eamdem creare*. Stephanus Pace dicit, (7) *Forma educitur de potentia materiæ, modus loquendi peripateticis proprius, qui numquam adhuc explicatur*. Leibnitius profitetur, (8) *formas dicere educi de potentia materiæ esse idem ac nihil dicere*: Bayles apud eumdem dicit Peripateticorum explicationem (9) *commiserationem excitare*. Auctor A. D. accurate perpendens eorumdem doctrinam ostendit (10) totam versari in verbis sine sensu, aut in falsitatibus jam compertis.

110. Omitto loquutiones eorumdem philosophorum dum explodunt destructionem formarum prout admittitur a peripateticis; Similes enim sunt iis quas adhibent contra eductionem. Satis sit illud Laurentii Magalotti, qui ad amicum scribit, (11) *Equidem fateor quemvis intellectum præjudiciis doctrinæ peripateticæ non præoccupatum experiri debere parem difficultatem in concipiendo posse id, quod dicitur forma, redigi in nihilum, ac posse ex nihilo creari id, quod dicitur materia*. Sed demus sensum aliquem, eumque non repugnantem contineri in illis verbis, dico jam quod erat tertium, ipsum suaderi non posse. Hoc enim iidem Peripatetici fatentur. Ex his Suarez sic dicit, (12) *Eductionem formæ substantialis per propriam efficientiam causarum secundarum non esse tam evidentem & certam, sicuti est efficientia absolute, quia effectio hujus formæ minus sensibilis est, ideoque minus nota nobis, quam efficientia accidentium, & quia in hac efficientia explicanda non parva est difficultas: nihilominus esse illam probabiliorem præsertim absolute sumptam, & non descendendo ad particulares modos explicandi hanc efficientiam*: Cardin. Ptolemæus ingenue

(1) Bo. De Origi. formarum pag. 484.
(2) Ga. Phys. sec. 1. l. 4. c. 8.
(3) Id. Ibid. l. 7. c. 3.
(4) Be. Abre. de Gass. to. 5. l. 6. c. 4.
(5) Sa. Atomism Dial. 4. n. 20.
(6) Ma. Rech. to. 4. Eclair. 15.
(7) Pa. Phys. par. 1. c. 6.
(8) Le. Theodi. p. 1. nu. 83.
(9) Id. Ibi. p. 3. nu. 396.
(10) A. D. c. 14.
(11) Ma. Lett famil. p. 1. let. 14.
(12) Su. Metaph. dis. 18. sec. 1. n. 15.

nue inter alia hæc habet, (1) *Non creatur sed educitur forma substantialis materialis, in quantum continetur in potentia materiæ. Hæc proprietas, quæ fundamentalis est systematis peripatetici, difficillima est explicatu, non modo probatu.*

111. II. Sic arguo. Anima brutorum materialis juxta Peripateticos facit cognitiones materiales, quibus convenit extensio & divisibilitas: sed impossibiles sunt hujusmodi cognitiones: ergo etiam illa anima. Major continet doctrinam Adversariorum, ut mox constabit. Minor probatur, quia hi termini cognitiones materiales, & cognitiones extensæ & divisibiles, vel non possunt explicari, vel sumpti prout sonant aut involvunt contradictionem, aut viam Materialismo patefaciunt. Idem dico contra Gauchatum, qui credidit posse suum in hac quæstione Cartesianismum conciliari cum opposita sententia dando brutis cognitiones (2) *machinales*, ut inferius distincte magis referam.

112. Interea quod cognitiones materiales non possint explicari probatur, quia dici nequit illorum sensum proferri ab iis, qui materiales dicunt cognitiones, quia corticem dumtaxat seu superficiem objectorum sensibilium exprimunt, seu repræsentant, non vero rerum essentiam; Cui enim homini philosopho concessum est aliter res sensibiles cognoscere? Neque ab iis, qui generalius dicunt materiales esse cognitiones, quæ sunt de objectis materialibus, iisque præsentibus, Objecta enim non pertinent ad intrinsecam naturam cognitionum. Nunquid dicemus cognitionem Angeli, qui cognoscit hunc mundum corporeum sibi & omnibus præsentem esse in se materialem, aut esse in se divinam cognitionem creaturæ, quæ in Deum terminetur, quem Angelus quidem intuitive videt, & nos in effectibus nunquam præsentem non habemus?

Longe etiam absunt ab explicatione quæ approbari possit, qui dicunt materiales esse cognitiones, quia fiunt ab anima materiali; Nam hæc est petitio principii. In utramque explicationem incidit ea Pardesii definitio, (3) Cognitiones materiales sunt cognitiones de objectis sensibilibus factæ vel sine reflexione, vel eo modo, quo nequit brutum conscium sibi esse, nec in ipso actu cognoscendi objectum sensibile, nec alio quovis tempore, se habuisse hanc de illo cognitionem. Atque ipsemet vidit nil hac via explicari, qui fassus est in sua definitione contineri (4) *quiddam admirabile & etiam incomprehensibile*.

113. Quod autem sumpti termini illi prout sonant, aut involvant contradictionem, aut viam Materialismo patefaciant, probatur, quia si pro certo habeatur, ut vult vera Philosophia, inertiam esse essentialem

(1) Pt. Phys. gen. di. 3. se. 3. n. 12.
(2) Ga. Lett. crit. 22.
(3) Pa. Conno. des Bet. n. 81.
(4) Id. Ibid. n. 95.

tialem materiæ, jam cognitio materialis erit idem ac actus productus a caussa, quæ nihil potest producere, in quo est manifesta contradictio. Sin autem in controversiam vocetur, an materiæ essentialis sit inertia, jam aperitur via Incredulis dicendi animas pariter hominum esse materiales. Ac reipsa Petrus Pomponatius, de quo alibi (1) dixi, apud Hieronymum Pontanum audiens Cogitativæ seu Aestimativæ licet potentiæ materiali tribui quod cognoscat & syllogizet circa objecta sensibilia & particularia, concludit posse aliam potentiam materialem, quæ sit perfectior cogitativa, cognoscere abstracta, & generaliter syllogizare, adeoque posse (2) *intellectum humanum cogitativa longe superiorem non excedere limites materiæ*, sive hæc *duo simul stare, scilicet intellectum esse extensum & secundum essentiam, & secundum potentiam, & ipsum universaliter cognoscere*. Petrus etiam Bayles apud Trevoltianos (3) fatetur videri sibi ex animis brutorum materialibus sublatam omnem absurditatem ejus opinionis, quæ dicit per vim solius materiæ posse obtineri effectus ordinatos, quales habentur a principio intelligenti. Et recentius hac ipsa observatione Voltaire (4) retundit eorum clamores, qui impios dicunt non solum Materialistas, sed quotquot nolint dare hanc propositionem, materia potest cognoscere.

114. Confirmo hoc argumentum, I. quia cum videam Jo: Baptistam de Benedictis affirmare uno in loco hanc propositionem, (5) *Cognitio materialis ex genere suo non pugnat*, quam supra (6) statuerat extensam & divisibilem, ibidemque promittere se inferius ejus veritatem loco, quem indicat ex professo demonstraturum, hoc non invenio ab eo factum. Idem in suis *epistolis Apologeticis pro Theologia Scholastica* deinde editis an. 1694. sub nomine Aletini iterum statuens brutis inesse animam materialem, monet nequis hanc quam ipse credit communem sententiam relinquat, propterea quod (7) *cognitio materialis habet contra se difficultates non levis momenti, nec facile superabiles*.

115. Confirmo II. quia Joannes Guilleminot non aliter probat posse cognitiones esse extensas & divisibiles, quam hoc argumento; (8) Visio corporea, prout est repræsentatio objecti in fundo oculi facta, est extensa & divisibilis: ergo etiam prout est advertentia ad objectum sive cognitio sensibilis potest esse extensa. Quod argumentum nullum certe est. Nam conceditur antecedens, & negatur consequentia, quæ ex illo non magis descendit quam ea quæ concluderet extensionem animæ intelligentis picturam aliquam, quia pictura est quid extensum. Igitur extensa utique est imago facta in fundo oculi per radios lucis, qui ab oculi humoribus opportune refracti illuc pertingant: Sed cum hæc simi-lis

(1) De ideis n. 717 edit. 2.
(2) Po. de Immor. l. 2, c. 4.
(3) Tr. ann 1705. art. 102. pag. 64.
(4) Vo, Oeuv. to. 2. sur M. Locke.
(5) Ben. Phil. to. 3. l. 8. c. 9. §. ad 2
(6) Id. Ibid. qu. 1. c. 6.
(7) Al. Lett. 3. pag. 180.
(8) Gu. Cogn. brut. se. 3. n. 11.

lis omnino fit illi, quæ fit in ſpeculo, eſt quid em ..uum ſeu non vitale, nec proprie viſio eſt, ſed conditio quædam r. uiſita ad viſionem, quæ actus vitalis eſt, & ſpecies quædam cognitionis.

116. Confirmo III. quia communi jam conſenſu ..oſophorum opinio hæc rej citur, tamquam apprime abſurda, ut dica. .ougeantius (1) *mirum eſſe illam tamdiu dominatam eſſe in ſcholis chriſti ..*: & Henricus Morus (2), & Auctor Artis cogitandi (3) de re R. .ionis velint eſſe ejuſdem repugnantiam agnoſcere & prædicare; Nam quod Carteſius jam antea dixerat, (4) *Opinio de partibilitate ſubſtantiæ cogitantis periculoſiſſima, ac Religioni Chriſtianæ quam maxime adverſa mihi videtur, quia quamdiu quis illam admittit, realem humanæ animæ a corpore diſtinctionem nunquam vi rationis agnoſcet*, alii jam repetunt & urgent, ut Monteirus, cujus hæc ſunt, (5) *Sententia ſcholaſticorum occultas religioni inſidias ſtruere videtur, & ad atheiſmum tandem deducere.*

117. Quare credi poteſt, quod Yvon arbitratur, Carteſium adoptaſſe opinionem de brutis meris automatis, ut opinioni peripateticæ contradiceret, (6) *quæ nequit ullo modo ſuſtineri*, quam rationem certum eſt Fortunatum a Brixia (7) ſequutum eſſe, dum ſe in hac re Carteſianum profeſſus eſt: quod alii etiam fecerunt, qui non viderunt in hac controverſia & aliis multis contingere, quod veritas ſit in medio oppoſitarum opinionum, quarum ambæ falſæ ſunt, ſicut in Ethica Virtus tenet medium inter duo vitioſa extrema. Mediam viam Peripateticos inter & Carteſianos ipſi iidem arripuiſſent, niſi falſo arrepti præjudicio aſſumpſiſſent unam eamdemque eſſe potentiam, quæ cognoſcat judicet & diſcurrat de ſenſibilibus prout referuntur ad vitam corporis & tempus præſens, quæ unice in brutis invenitur, ac quæ eadem præſtet etiam circa inſenſibilia, & ſine ulla ex dictis limitationibus, qualem utique non patitur Philoſophia aſcribi brutis, & Fides expreſſe vetat.

118. Simile argumentum inſtitui poteſt contra judicia pariter materialia attributa a Peripateticis animæ materiali brutorum, eorumque internis ſenſibus, organis ſcilicet materialibus: & contra appetitiones, quæ ex his judiciis in iiſdem excitantur, quas pariter vocant materiales: (8) *Ad appetitionem materialem*, en horum nominum uſum apud Card. Pallavicinum S. J., *non ſufficit apprehenſio materialis, ſed prærequitur judicium potentiæ materialis de bonitate objecti.*

A R-

(1) Bu. Lingu. delle Bes. §. Queſti.
(2) Mo. Epiſt. 65. in. Carteſ. part. 1. 129. 130.
(3) Ar. de pens p. 3. c. 17 §. 2.
(4) Car. Reſp. ad quæſt. 2. §. 9. in ſeptimis objecti.
(5) Mo. Phyſ. viven. n. 124. 127.
(6) Yv. in Encycl. ar. Ame des bet. §. L' amuſement.
(7) Br. Phy. n. 4446. in fine & ſeq.
(8) Pa. in 1. 2. di. 6. q. 2. ar. 2.

ARTICULUS III.

Objectiones:

119. HÆ fundantur in duplici suppositione, altera est repugnare animas spirituales in brutis, quibus insequens propositio satisfaciet: altera est existere formas substantiales materiales. Rationes, quibus hæc innititur, juvat hic perpendere, prout eas video proponi a Suarez, etsi passim occurrant apud Auctores peripateticos sane multos. Sicuti enim a tempore saltem vel Petri Abaelardi mortui ann. 1143, vel Petr. Lombardi, qui anno 1164. obiit, hanc sententiam basim physicæ peripateticæ, omnes fortasse orbis Academiæ propugnarunt usque ad finem seculi 15, quo ab eo apertam secessionem fecerunt inter Italos Galilæus, inter Germanos Keplerus, inter Anglos Robertus Boyle, inter Gallos Renatus des Cartes, & post hos tota jam Philosophorum respublica: ita desiderio quisque teneri potest cognoscendi præcipua illius fundamenta. Hæc certe cognitio carere non potest sua tum delectatione tum utilitate. Magis enim utile ac jucundum est nosse quænam fuerint majorum nostrornm de rebus philosophicis cogitationes, quam nosse quænam fuerint apud eosdem vestiendi habitandi ac vivendi consuetudines, quæ curiositas facit ut grata sint quævis rudera, quæ effodiantur antiquitatis vel barbaræ.

120. I. Objicitur. Aristoteles (1) admisit formas substantiales in sensu peripatetico: ergo dantur. Hæc argumentatio magni olim habebatur, quando præpostero quodam judicio Aristoteles & ratio, ut observat Leibnitius (2), credebantur synonima: sed qui nunc eam proponat, exsibilabitur ex rationibus, quas jam dicam, non vero ex novo errore, quod Aristoteles & ignorantia idem sint, in quem visi sunt incidisse, qui ut habet Sbaraglius (3) *delineandam curaverunt Cartesii imaginem libros Aristotelis pedibus conculcantem, ut apparet in editione quarta Principiorum Philosophiæ ann.* 1664.

Resp. Igitur I. per retorsionem. Juxta Suarez (4) antiqui philosophi fere omnes ignorarunt formas substantiales, quin immo eas (5) negarunt possibiles esse, & omnia fieri per solam accidentium mutationem existimarunt, quibus accedunt jam fere omnes philosophi: ergo non dantur hujusmodi formæ substantiales in sensu peripatetico.

121. *Resp. II. omitto ans, & nego conseqm.* Si enim homo laudabiliter sapienterque acquiescit huic argumentationi: Hoc mysterium affirmatur a Sacra Scriptura, ergo etiamsi non possit concipi, certissimum

(1) Su. Metaph. di. 15. se. 1. n. 5.
(2) Le. de Confor. Fidei. n. 7.
(3) Sb. Anim. brut. di. 3. c. 2. se. 3.
(4) Sua. ubi paulo ante n. 4.
(5) Id. Ibid. sec. 2. n. 3.

mum est: omnino insipienter acquiesceret huic alteri, Formæ substantiales, quæ producantur & destruantur ab agentibus creatis, admissæ sunt ab Aristotele: ergo etsi non possint concipi, adhuc certum est eas existere. Omisi ans, quia non pauci philosophi negant haberi hujusmodi sententiam in operibus Aristotelis, sed ex illo confictam esse ex mala interpretatione horum nominum Materia & Forma, quæ volunt ipsum intellexisse eo modo, quo passim jam ab Antiperipateticis intelliguntur. In his est Honoratus Fabri (1), quem tamquam præcipuum hujus interpretationis vindicem nominant Cardin. Ptolomæus (2), qui Fabri systema in compendium redigit, multumque tamquam aliud agens (3) promovet integra sectione, & eruditis animadversionibus.

122. Instant. Doctrina de hisce formis, prout Aristoteli a multis sive bene sive male tribuitur, ita recepta fuit a primariis Academiis, ut contradictoriam habuerint pro certo falsa, gravissimis censuris notaverint, & absolute damnaverint. Plura hujusmodi decreta habentur apud Argentræum (4), & Joan: Bapt. de Benedictis (5), & de aliis mentio fit in historia Philosophiæ Cartesianæ, quam novimus ab Academia primum Ultrajectensi opera Voetii Theologiæ professoris, & ejusdem Academiæ Rectoris, & aliis deinceps bene multis proscriptam præcipue quia diversas particularum exiguarum configurationes muneri formarum substantialium substituebat. Sed doctrina, quæ a primariis Academiis ita recepta est, ut contradictoriam habuerint pro falsa, & absolute damnaverint, vera dicenda est: ergo.

123. *Resp. dist. mai.* Primariæ Academiæ damnarunt sententiam negantem formas substantiales ex hypothesi, quod ea viam sterneret Materialismo, qui negat ipsi homini animam spiritualem, tamquam ipsius formam substantialem, *conc. mai.* secus *nego mai.* Et juxta eamdem distinctionem recepta vel rejecta minori, *nego conseqm.* Distinctio præsefert morem jam cognitum, quo Academiæ procedunt in examine opinionum, eas scilicet conferunt cum veritatibus revelatis, easque rejiciunt, quas videant vel directe vel indirecte iisdem opponi. Atque directe quidem opponuntur, quæ iisdem aperte sunt contrariæ vel contradictoriæ: indirecte autem, quæ viam sternunt ad illationes hæreticas, & cum hujusmodi perversa intentione ab Incredulis introducuntur in philosophiam. Itaque quoniam aliqui negabant formas substantiales, ut concluderent cum Platonicis animam esse in homine, sicuti nauclerum in navi, aut aurigam in curru: vel cum Epicureis eam aliud non esse, quam materiam quamdam tenuissimam, ideo Catholicæ Academiæ damnarunt sententiam negantem formas substantiales. Simili de caussa eaedem diu restiterunt impugnantibus formas accidentales, seu ut

(1) Fa. Phys. to. 1. a n. 7. præf. Id. phys to. 3. tr. 5. pag. 1.
(2) Pt. Phys. gen. di. 7. sub initi.
(3) Id. ibid. sec 1.
(4) Arg. Collectio Judicior.
(5) Be. Difesa dell' Alet. p. 1. §. 1.

ut ajunt accidentia absoluta, quia hoc argumento utebantur hæretici ad negandam præsentiam corporis J. Christi in Eucharistia. Ut has illationes effugerent, mordicus propugnarunt dari formas substantiales materiales & accidentia absoluta, donec hæc peripatetica dogmata attentius considerantes remoto præjudicio auctoritatis majorum suorum, non solum deprehenderunt nullam habere legitimam connexionem cum veritatibus revelatis, vel aliunde certis, sed omnino absurda esse. Quare communi consensu ab illis jamdiu fuerunt eliminata.

124. II. Objicitur. (1) Homo constat ex materia & forma substantiali, anima rationali: Ergo etiam res omnes naturales & materiales constant materia & forma substantiali materiali. Aletinus, sive ex jam dictis (n.114.) Jo. Baptista de Benedictis ex eodem antecedenti expresse intulit (2), ergo etiam bruta constant ex materia & forma substantiali, anima materiali.

Resp. conc. ans & nego conseqm. Quoniam Card. Ptolemæus dixit (3) *Modici ponderis est hæc paritas, utpote innumeris affecta disparitatibus*, ex his eas tantum proponam, quæ ab ipsis Peripateticis admittuntur. Prima est. Existere animas rationales, quæ sint forma corporis humani viventis, philosophia demonstrat, & divina Fides aperte docet, quorum neutrum de formis substantialibus materialibus dici potest, & nemo ex adversariis revera dicit, qui eas solum per quædam sua ratiocinia putant se rite inferre (4). Secunda est. Animæ rationales etiam separatæ a corpore, & omni materia existunt, subsistunt, conservantur: & proinde substantiæ sunt, quæ incompletae vel partiales (5) solum dici possunt comparando illas ad totum hominem, qui anima simul & corpore constat: Formæ vero substantiales materiales separari a materia nullo modo ne a Deo quidem possunt, ita ut separatæ subsistant & conserventur, quod quidem data opera ostendit Card. Ptolemæus (6) pertinere ad peripateticum systema. Quare formæ substantiales materiales habentur pro substantiis incompletis, tum quia sunt partiales substantiæ comparando illas ad totum compositum, tum quia non sunt (7) integre subsistentes, nec capaces (8) propriæ subsistentiæ etiam partialis. Tertia est. Formis substantialibus spiritualibus nulla convenit extensio, aut partium distinctio: at materialibus formis tribuitur quædam extensio, quam vocant entitativam, seu distinctionem partium quantum ad entitatem (9), ex qua fieri dicunt, ut quando uniantur materiæ, coextendantur illi uniendo se per unam sui partem uni parti materiæ & alteri per aliam.

125. III. Objicitur. (10) Aliquid præter materiam est addendum,

H quo

(1) Su. Metaph. di. 15. se. 1. n. 6.
(2) Al. Let. apol. 4. pag. 251.
(3) Pto. Phys. gen. di. 8. concl. 21.
(4) Id. ibid. di. 15. se. 1. n. 6.
(5) Su. Dis. 13. metaph. se. 6. n. 3.
(6) Pt. Phys. gen. di. 3. concl. 1. n. 6.
(7) Su. di. 15. Met. se. 1. n. 3.
(8) Id. ibid. di. 14. se. 3. n. 3.
(9) Id. ibid. n. 48.
(10) Id. ibid. di. 15. se. 1. n. 18.

naturales constent ex substantiali potentia, & actu seu forma substantiali, quæ conjunctim faciant ens completum atque perfectum, sed seorsim non sint nisi ens incompletum & imperfectum: quin immo id reipsa habetur in compositione hominis, in quo incompletæ substantiæ sunt tam ipsius corpus, quod est ejus compositi materia, quam ipsius anima, quæ est ejusdem corporis forma substantialis; ergo possunt admitti formæ substantiales materiales.

Resp. distin. ans. Illud non ostenditur repugnare in rebus naturalibus, quæ mere materiales non sint, cujusmodi est quodvis animal, *conc. ans*: in rebus naturalibus quæ mere materiales sint, *nego ans*, & *conseqm.* juxta datam distinctionem. Repugnantia autem passim jam profertur a philosophis, & quidem multiplex. Satis hic sit una & altera. Prima itaque est quia repugnat admittere aliquid prorsus inutile, cujusmodi est, quævis forma materialis peripatetica; non enim his opus habemus ad ea explicanda, quæ in rebus mere materialibus observamus. Altera est, quod repugnat erigere res creatas in totidem numina, quod fieret, si ipsis juxta peripateticum systema tribueretur vis productiva formarum, quæ propria præditæ sunt entitate. Exemplum ex composito humano quam sit importunum, supra (n. 124.) jam vidimus.

128. V. Objicitur. Adsunt varia indicia de existentia harum formarum materialium. En unum. (1) Aqua quæ est frigida, fit calida, si torqueatur igne, quo remoto iterum evadit frigida: ergo signum est esse in aqua intimum principium, a quo iterum manat intensio frigoris. Atqui hoc internum principium non potest esse nisi forma substantialis materialis: ergo.

Resp. conc. ans, & *nego conseqm*, & cadunt reliqua. (2) *Cur*, dixit jam Boyle, *ad substantialem formam fugiatur, quando aliter promptius explicari possit, nullus video*, Quæ autem sit objecti phaenomeni explicatio non solum promptior, sed ad captum etiam proportionata declarat hæc alia sub eodem antecedenti consequentia, ergo signum est ab igne aquam fuisse agitatam motu illo particulari, in quo calor consistit, qui paulatim remoto igne subsidit ex resistentia ambientis. Jure igitur Cartesius monebat Henricum Regium, ut Gisberto Voetio, qui similia argumenta proponebat, responderet, (3) *quia formæ substantiales non aliam ob caussam admittuntur, quam quia necessaria putantur ad effectuum naturalium caussas explicandas, non difficilis ero in confitendo me illas plane rejicere.*

129. En alterum indicium. (4) Experimur interdum eo procedere alterationem rerum, ut omnimoda earum transmutatio fiat, ita ut quamvis removeatur agens, non redeat ad pristinum statum, & quandoque

H 2 in

(1) Su. Met. di. 15. se. 1. n. 8.
(2) Bo. De Orig. formar.
(3) Car. Epist. p. 1. ep. 89.
(4) Sua. ubi paulo ante. n. 12.

in viliorem etiam substantiam, puta cineres, mutetur: ergo signum evidens est alterationem interdum manere intra fines mutationis accidentalis, interdum vero habere conjunctam majorem rei mutationem. Atqui major hæc mutatio est generatio novi compositi, quæ proinde supponit corruptionem veteris: ergo datur hujusmodi generatio atque corruptio. Atqui nisi darentur formæ substantiales materiales, nulla esset hujusmodi generatio, atque corruptio: ergo si hæ dantur, etiam illæ dantur.

Resp. conc. primum argumentum, *& distin. minorem subsumptam*. Major hæc mutatio est generatio novi compositi, si nomine hujus generationis veniat nova materiæ dispositio *conc. min*, si veniat nova formæ substantialis productio, *nego min.* & etiam suppositum. Ut distinctio clara sit, necesse est definire hoc nomen generatio tamquam cardinem totius ratiocinii, quo intellecto intelligetur etiam sensus oppositi nominis corruptio. Itaque significet primo generatio, existere novum compositum propter productionem formæ substantialis in sensu peripatetico, hoc est substantiæ, quæ nunc primo a vi creata producitur, & suam entitatem cum illa materiæ remanentis unit, jamque manifestum est reliquis concessis jure negari non solum minorem subsumptam, sed etiam ejusdem suppositum de productione hujusmodi formarum, & de ejusdem possibilitate.

130. Secundo generatio significet existentiam novi compositi ex nova partium etiam insensibilium dispositione, quæ facta sit per vires naturæ: tunc concesso primo ac secundo argumento negabitur ultima minor subsumpta. Quoniam vero peripateticorum standum esset definitioni hujus nominis generatio, quæ primo allata est, animadvertere licet cum Card. Ptolemæo (1) & Auctore artis cogitandi (2), objectum argumentum, quo potissimum nititur totum illorum de principiis corporum systema esse meram petitionem principii. Præterea fortasse etiam contradictio quædam objici hic illis posset. Nam sæpius ex una parte dicunt (3) evidens esse haberi corruptionem & generationem substantialem, & ex alia dicunt (4) substantialem mutationem occultam esse, sentiri per se non posse, & a nobis non percipi nisi per ordinem ad accidentales & sensibiles mutationes, quæ duo invicem pugnant. Sed per me nulla sit contradictio, atque cum loquuntur de evidentia, intelligant evidentiam illationis de mutatione substantiali formarum ex vi argumentorum, non evidentiam ipsiusmet mutationis substantialis, ut ex hoc capite peripateticas formas irridet Malebranchius (5): hoc unum est ipsam hanc evidentiam mediatam falso jactari.

PRO-

(1) Pt Phys. gen. di. 8. con. 2.
(2) Ars. p. 3. c. 19. §. 2.
(3) Su. Meta. di. 13. se. 1. n. 5. & se. 3. n. 8. & di. 15. se. 1. n. 12.
(4) Id. ibid. dis. 13. se. 6. n. 3.
(5) Ma. Recher. de la Veri. to. 2. l. 1. c. 16.

PROPOSITIO IV.

Anima brutorum dici potest substantia in aliquo vero sensu spiritualis.

ARTICULUS I.

Declaratio propositionis.

131. I omnes philosophi per hoc nomen *substantia spiritualis* significarent, quemadmodum multi jam faciunt, substantiam quæ habet facultatem cognoscendi & appetendi, statui absolute poterat animam brutorum esse substantiam spiritualem. At quoniam nondum contigit hujusmodi consensus, & alii unam, alii alteram ejus nominis definitionem sequuntur, quarum nulla convenire potest animæ brutorum propter expressa in ipsis attributa expositis perfectiora, ideo ad effugiendam horum offensionem necesse fuit, ut ab ipsa propositione appareret animam brutorum non dici nisi cum limitatione spiritualem.

132. Aliquas ex definitionibus, ab ea, quam cum multis jam proposui, diversas profero. Thomas Needham sic habet, (1) *Quicquid est spirituale, est immateriale, sed non viceversa quicquid est immateriale, est spirituale; Nam per me spirituale significat illud ens immateriale, cujus operatio est intelligere.* Christianus Wolfius (2), Genuensis (3), Benedictus Stattler (4), Para (5) definiunt spiritum, substantiam intellectu & voluntate præditam, & Lessius jam olim id credidit (6) teneri communiter a philosophis, & credunt quotquot cum Gauchato (7) execrantur hanc propositionem, anima brutorum est spiritualis. Postquam Gaspar Sagner similem spiritus definitionem posuit, colligit optimo jure, male illum argumentari, (8) *qui ex eo, quod ens aliquod dici simplex audiat, inferat, ergo est spiritus:* & Maximus Mangold loquens de animis brutorum (9), *hinc* inquit *illæ a ratione spiritus excluduntur*, sed addit, *quod si tamen dicere malis spiritum esse substantiam, quæ possit cognoscere & appetere, sequitur illas esse spiritus*, idemque dicit alius Mangold Joseph

(1) Ne Nouv. observ §. 58. pag. 446.
(2) Wo. Psycho. ratou. n. 749.
(3) Go. metaph. p. 2. appen. de brut. n. 20. & p. 2. pr. 36. n. 23.
(4) Sta. Psychol. n. 412.
(5) Pa. Elem. de metaph.
(6) Le de Providen. n. 28.
(7) Gau. Lett. criti. 22. pap. 378.
(8) Sa. Psycho. n. 202.
(9) Ma. Psych. n. 18.

feph nomine, qui fatetur (1) *spiritus notionem esse nominalem & arbitrariam*.

133. Bossuetus ad genuinam spiritus notionem præter intellectum vult pertinere etiam facultatem possidendi Deum & acquirendi beatitudinem (2). Boschovichius in supplementis ad philosophiam Benedicti Stay meminit de iis, in quibus est Cartesius ex dictis (n. 21.), qui spiritus nomen volunt importare præter vim cognoscendi & appetendi, potentiam etiam agendi independenter a corpore, & immortalitatem. Ejus verba hæc sunt, *si definitione ipsa assumamus spiritualem substantiam esse eam, quæ vim cognoscendi ac volendi habeat, ita ut a materia ejusmodi vi experte in suo agendi modo, & in sua conservatione nunquam dependeat, brutorum animæ non sunt substantiæ spirituales*. Quæ verba placuit referre, quia Trevoltiani (3) falso dicam ipsi intentant, quasi promotori opinionis, quæ materiæ tribuit potentiam cognoscendi.

134. Qui admissis hujusmodi spiritus definitionibus coguntur excludere animas brutorum a genere substantiarum spiritualium, non proinde easdem rejiciunt in illud substantiarum materialium, ii saltem, qui probe persuasi sunt, fieri id non posse sine quodam piaculo, quod præcedentes propositiones demonstrarunt. Aliqui igitur aperte dicunt esse substantias immateriales, ut Wolfius (4), & Ignatius Monteiro, cujus est hæc propositio, quam ex professo propugnat, (5) *Bruta quæcunque veram habent animam cognoscitivam immaterialem*. Alii dicunt esse entia simplicia, ut Storchenaus, qui sic statuit (6) *Anima brutorum est ens simplex*: & auctores additamentorum, quæ Sagnerii philosophiæ apposita fuerunt in editione Placentina pro collegio Alberoniano dicunt, (7) *Præter substantias intellectu ac voluntate præditas, sive spiritus & corpora, substantias simplices admittimus, quarum aliquæ imaginatione gaudent, sensatione, memoria sensitiva, uti sunt animæ brutorum*. Sunt qui utroque attributo harum animarum naturam declarant, ut Sagner, qui dixit & propugnavit animas brutorum (8) *esse entia simplicia seu immaterialia*, quibus inest vis cognoscendi sensibilia.

135. Alii volunt eas pertinere ad genus substantiarum, quod hac unice de caussa comminiscuntur, medium inter spirituales & materiales quatenus utriusque generis quædam participat attributa, ut de spiritali simplicitatem & vim cognoscendi, de materiali autem impotentiam cogitandi præter cessationem ab existendo ad dissolutionem organizationis corporis, a qua pendet tum in existendo, tum in operando. In his præter illos quos citat Sbaraglius iisdem consentiens (9), sunt Liberatus Fassoni

(1) Ma. Phys. partic. n. 164.
(2) Bo. Cono. de Dieu. c. 5. n. 13.
(3) Tre. an. 1756. ar. 4.
(4) Wo. Psyh. rati. n. 749.
(5) Mo. Physi. viven. n. 134.
(6) St. Psych. n. 270.
(7) Sa. Cosmol. not. 78. n. 11.
(8) Sa. Psych. n. 211.
(9) Sb. Ani. bru. di. 3. c. 3. sec. ulti. pag. 582.

ni (1), & Nonnote (2), & Annotatores philosophiæ Sagnerii advertunt (3) *Monigliam diss. contra fatalistas p. 2. p. 287. contendere nunquam admisisse peripateticos animam in brutis vere materialem*. Quæ sint ejus rationes, alii viderint.

136. Equidem audivi olim qui has afferret, quod peripatetici expresse negant animas brutorum esse materiam, & fieri ex materia (n. 99.) cum qua unum aliquod compositum constituunt. Præterea dicunt has esse inter formas nobiliores, & excedere materiam elementarem atque corporalem, earumque effectionem dependere a caussis terrestri materia perfectioribus: (4) *Quanto magis*, sic S. Thomas, *proceditur in nobilitate formarum, tanto magis invenitur virtus formæ materiam elementarem excedere, sicut Anima sensibilis*. Quod si hanc animam appellarunt materialem, dicendum est per hoc attributum significare animam, quæ non existit nisi in materia certo modo disposita. Hanc interpretationem recentius invenio in Josepho Mangold, qui ait (5) *quamvis anima bruti extra corpus seu materiam naturaliter non possit existere, atque in hoc sensu sit materialis: eadem tamen non est corpus seu materia*. Eamdem colligo ex minus recenti philosopho Hieronymo Pontano, qui in suo posthumo Opere *de Immortalitate animæ*, quod Romæ excusum fuit anno 1597 impensis Cardinalis Julii Antonii Sanctorii, referens proponi ab Aristotele (6) quæstionem, utrum omnes animæ sint ejusdem vel diversi generis, dicit quæri hic, an (7) *aliæ animæ sint materiales, sive mixtæ cum corpore, aliæ immateriales & separabiles a corpore*; ubi videas materialem dici animam quæ etiamsi non sit materia, ab hac tamen non sit separabilis ita ut subsistat. Quamobrem accusari non debent de contradictione in re seu doctrina, sed solum de quadam verborum implicatione, in quam forte illos conjecit sollicitudo distinguendi animam brutorum ab anima rationali, cui proprium fecerunt ex præjudicio stabilitæ definitionis attributum spiritualitatis.

137. Subtilius citatus Needhamus procedit, qui dividit substantias in immateriales & materiales, atque commune utrique generi attributum dicit esse vim proprie activam, ex intrinseco scilicet ipsis principio, & differentiale quidem attributum substantiæ immaterialis constituit simplicitatem, qualis communiter tribuitur spiritibus, quæ excludit omnem omnino compositionem: differentiale vero substantiæ materialis ponit in compositione ex unione aliqua inter se entium immaterialium infimi generis. Nam plura hujusmodi entium subalterna genera ponit. Primum, illudque cæteris perfectius est ens immateriale spirituale, hoc est *cujus operatio est intelligere*. Secundum genus est ens immateriale sensiti-

(1) Fa. Piorum in sinu Abrahæ beat. c. 14.
(2) No. Dic. phi. ar. 2. n. 3.
(3) Sa. Psych. not. ad n. 211.
(4) Th. 1. p. qu. 76. ar. 1.
(5) Ma. Phys. partic. n. 164.
(6) Ar. 1. Metaph. tex. 7.
(7) Po. de Immor. l. 1. c. 2.

fitivum, cui tribuit actionem cognoscendi dependenter a materia, & sola sensibilia: atque hujus generis dicit esse animas brutorum. Tertium est ens immateriale vegetativum, cujus attributum dicit esse actionem movendi aut resistendi similibus entibus vegetativis, ita ut hoc modo ex illis componantur corpora organica.

138. Quartum tandem est ens immateriale nec spirituale nec sensitivum nec vegetativum, cui vult convenire actionem ordinis longe inferioris omnibus prædictis, quam alibi vocat (1) *simplicem activitatem motricem*, & in his constituit elementa corporum, quæ non sunt organica, & quando fuerint simul unita aliquo in numero, eadem statuit esse id, quod debet intelligi nomine materiæ: (2) *Nonne* sic ille, *prima principia, quæ dum mutuo in se agant, constituunt compositum solidum extensum divisibile, quod nos appellamus materiam, sunt entia essentialiter immaterialia, simplicia, nec invicem unita?* Videas in hac Needhami partitione revocatas obsoletas peripateticorum sententias de anima vegetativa & sensitiva, & receptas præterea monadas Leibnitianas, alibi (3) examinatas pro elementis corporum. Tota igitur cadit per ea, quibus hujusmodi Peripateticorum & Leibnitianorum commentationes confutantur, ex quibus illud satis sit observare, quod actio proprie talis & immanens, quorum nominum notiones agens de Caussis (4) exposui, in nullo ente admitti potest juxta veram philosophiam, quæ non sit cognitio, aut illam necessario non includat. Igitur cum in hac doctrina actio proprie talis apertissime admittatur in substantiis, quibus aliunde non conceditur cognitio, eadem doctrina admitti nequit.

139. Auctores interea animæ brutorum, quæ sit substantia media spiritum inter & corpora, incidunt manifeste in eorum opinionem, qui impugnant doctrinam ceteroquin communem, quod spiritus & corpora sint substantiæ ita contrariæ, ut impossibile sit dari substantiam aliquam, quæ non sit aut spiritus, aut corpus. Ex hujusmodi impugnatoribus juvat eos, in quos incidi, exhibere. Imprimis est Malebranchius, qui decidit (5) *homines præcipiti ferri judicio, dum statuunt ut principium indubitatum, omnem substantiam esse corpus vel spiritum*. Est Joannes Clericus judicans (6) *temerarios esse, qui omnes creatas substantias ad hæc duo genera* spiritum & corpus *referunt*. Est Voltaire, qui credit se suadere divisionem substantiæ in spiritualem & corpoream esse plusquam importunam per hæc verba (7) *Divisio omnium substantiarum creatarum in corpora & spiritus est similis divisioni, quam de sensibus faceret surdus, nihil cogitans de sensu auditus, quia illo caret, vel cæcus relinquens visum, de quo similiter nihil cogitat, quia illo caret*. Est Storchenaus dicens, (8) qui

(1) Ne. Nouv. observ. §. 46. in notis.
(2) Id. ibid. §. 57. qu. 6.
(3) De ideis n. 267. edi. 2.
(4) De cauff. efficicu. n. 46.
(5) Ma. Inqui. veri. l. 3. p. 2. c. 9. n. 4.
(6) Cle. Log. p. 1. c. 8. n. 2.
(7) Vol. Metaph. c. 6.
(8) St. Psych. n. 151. schol.

qui concluderet impossibile esse ens a spiritu & materia essentialiter diversum, propterea quod nullam ejus ideam formare possit, næ is similis esset cæco ab incunabulis, qui colorum possibilitatem negaret. Quod minus cohæret cum eo, quod alibi iterum iterumque repetit (1) *substantia recte distribuitur in spiritualem & materialem*. Est Genuensis, qui pronunciat (2) *Genera substantiarum minime scimus. Perridiculum enim est asserere nullas esse alias præter intelligentes, seu spiritus, & corporeas*: quod alibi (3) jampridem statuerat.

140. Insignis profecto est in his omnibus loquendi confidentia, quam etsi argumenta propositionis planum facient eam ex profunda rei meditatione ac comprehensione nasci non posse, nihilominus eam placet statim sic deprimere; Vetus divisio omnis substantiæ in spiritum & corpus recepta fuit a S. Augustino, & sæpius inculcata. Sua sunt hæc inter alia, (4) *Omnis natura, aut corpus aut spiritus est. Quiequid* (5) *corpus non est, & tamen aliquid est, jam recte spiritus dicitur. Quod* (6) *non est corpus, & tamen est, videtur restare, ut spiritus sit.* Quæ intelligenda sunt de eo, quod est aliqua substantia, sive ut in primo testimonio habetur aliqua natura; Nam sunt modi rerum, qui nec corpus sunt nec spiritus. Eadem recipi ab omnibus deberi ex eo etiam demonstratur, quod optima sit divisio substantiæ, quæ procedit per differentias contradictorie sibi oppositas, cujusmodi est habere vim principaliter agendi quæ pertinet ad substantiam spiritualem, & non habere hanc vim, quæ est differentia propria corpori: vel quæ ex his infertur esse substantiam cognoscentem, & esse substantiam non cognoscentem, aut esse ut ait Seneca (7) quid corporale, & esse quid inc orporale: & loquendo de creaturis, esse ut advertit Paulus M. Astensis (8) *ens a se immobile, idest materiale, & a se mobile, videlicet spirituale.* Alias fortasse demonstrationes dabit Ludovicus Barbieri, qui in suo metaphysicæ tentamine statuens spiritum & corpus esse duo sola genera creaturarum possibilium, dicit id a se (9) in suis jam olim editis dialogis fuse demonstratum. Hæc advertisse non solum confert ad tuendam definitionem spiritus supra (n. 131.) propositam, quæ de sola meminit vi cognoscendi & appetendi, sed etiam ad persuadendum omnes tuto in eamdem convenire posse, præsertim cum nunquam abrogari possit lex dialectica, quod definitiones nominum sint ad placitum, eidemque faveant Scriptura & Patres, ut jam ostendo,

(1) St. Ontol. n 179. & Psych. n. 167
(2) Ge Metaph. p. 3. c. 5. prop. 36. §. 13
(3) Id. ibid. p. 2. App. de brut. n. 20.
(4) Aug. de Natur. boni c. 1.
(5) Id. de Gen. ad lit. l. 12. c. 7.
(6) Id. Enar. in Psalm. 50.
(7) Se. epist. 59.
(8) As. Psych di. 2. n. 5.
(9) Ba. Sagg. di Metaph. p. 1. ar 23.

Articulus II.

Argumenta ab auctoritate Sacræ Scripturæ.

141. Scriptura tribuit brutis animam viventem, quam etiam vocat spiritum. Ergo anima brutorum dici potest substantia in aliquo vero sensu spiritualis. Probatur antecedens. Sicuti Scriptura loquens de homine dicit, (1) *Factus est homo in animam viventem*: ita loquens de piscibus dicit, (2) *Creavit Deus cete grandia, & omnem animam viventem*: *Secundus* (3) *Angelus effudit phialam suam in mare, & omnis anima vivens mortua est in mari*. Et loquens de terrestribus animalibus dicit, (4) *Dixit quoque Deus producat terra animam viventem in genere suo jumenta & reptilia, & bestias terræ*, Et iterum de avibus & brutis omnibus habet (5) *Dixitque Deus, ecce dedi vobis omnem herbam, & universa ligna, ut sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri Cæli, & universis, in quibus est anima vivens*. Sed Scriptura loquens de homine per animam viventem significat animam de genere spiritus: ergo idem significat etiam loquens de brutis. Interpretatio, quam Fortunatus a Brixia his locis (6) tribuit, nomine animæ viventis significari principium motus progressivi, quod constituit in spiritibus animalibus, hoc est in tenui quadam materia, vel importat aliquid repugnans inertiæ attributo essentiali materiæ, vel impugnatur omnibus rationibus, quibus anima materialis excludi jam vidimus.

142. Quod vero Gauchatus ex iisdem testimoniis, quæ utique legit quoniam ipsorum aliqua profert, concludat (7) *cum in bis non fiat mentio de anima, quo jure quis brutis illam tribuit?* planum facit se quid humanum passum fuisse, singularem hallucinationem. Verius nos ipsi reponimus, cum toties Scriptura brutis tribuat animam viventem, eamque vocet etiam spiritum ut jam dicam, quo jure Cartesiani animam brutis inesse negant, eaque constituunt esse ejusdem fere generis cum plantis, quas Genesis virentes quidem dixit (8) non vero viventes, quam appellationem primum adhibuit loquens de brutorum creatione.

143. Quod præterea Sacra Scriptura tam hominum quam brutorum animam non solum viventes dicat, sed vocet etiam spiritus, en aperta testimonia (9) *interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cælum*, & infra de omnibus brutis ante diluvium dicit ingressa esse (10) *ad Noe in arcam bina & bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitæ*. Cum in

(1) Gen. 2. vers. 2.
(2) Gen. 1.
(3) Apoc. 16. vers. 3.
(4) Gen. 1. ver. 24.
(5) Gen. 1. vers. 29. & 30.
(6) Br. Phys. partic. n. 4463.
(7) Ga. Lett. crit. 22. pag. 284.
(8) Gen. c. 1. v. 11.
(9) Gen. c. 6. v. 17.
(10) Gen. c. 7. v. 15.

in primo testimonio spiritus vitæ sine controversia dicatur anima hominis, dato illud de solis hominibus debere intelligi, quæ ceteroqui gratuita est ne dicam violenta interpretatio, male adversarii volunt in secundo significari vel respirationem, vel spiritus animales, sive vividam actuosamque substantiam e puriori sanguine erumpentem, quia ut dixit jam contra illos Monteirus (1) *a literali sensu verba Scripturæ alienare non licet, nisi certa nos cogat necessitas, quæ impræsentiarum nulla est.*

144. Alibi habemus (2). *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum.* Sunt quidem qui huic loco reponunt, ibi exprimi opinionem voluptarii, non hagiographi. At hi non habent pro se, nisi Olympiodorum sæculi noni auctorem apud Jo. Lorinum, qui ita censuit, cæteri autem interpretes, Ecclesiastis sententiam hic agnoscunt, & interpretantur. In Proverbiis scriptum est, (3) *Novit justus jumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia.* Quod testimonium laudem justitiæ tribuens iis, qui solliciti sunt de suis jumentis, & contra condemnans impietatis & crudelitatis eos, qui ita non faciunt, est grave argumentum contra purum materialismum jumentorum; Non enim injusti & crudeles dicuntur homines, qui puras machinas, quibus magno etiam sui emolumento usi diu sunt, tandem prorsus deserunt corrodendas vetustati, vel ipsimet eas destruunt, vel flammis tradunt devorandas. Est quidem Lyranus apud Sbaraglium (4), qui pro jumentis intelligit servos & ancillas, & Beda hebetes & rudes: sed hæc interpretatio satis audacem metaphoram sine ulla necessitate supponit in vocabulo jumentorum, quæ ceteroqui non excludit sensum literalem communiter receptum. Omitto testimonia, in quibus Scriptura tribuit brutis cognitionem*, adeoque animam viventem & spiritum, tum quia assumpti argumenti antecedens hæc non postulat, tum quia ea opportuniori loco inferius producam.

145. Hujusmodi animæ viventis & spiritus appellatio tam frequens in sacris literis, ubi de brutis loquuntur, ut patet ex adductis locis, & aliis, quæ consultis bibliorum concordantiis occurrent, non potest dici, quod sit modus quidam loquendi juxta opinionem vulgi, non vero juxta veritatem. Dicere enim in brutis esse animam viventem, & esse spiritum, non est res historica, sed physica. In historica sequi vulgi opinionem, sive vera ea sit, sive falsa, est *vera historiæ lex*, ut ait S. Hieronymus; secus vero in physica. Ad physicam autem quis non videt pertinere, quod Scriptura tam frequenter affirmat, brutis inesse animam viventem. Et erit, qui ad tuendas hypotheses prorsus arbitrarias vel dubitabit, an in alio sensu accipienda sint hæc ipsius verba, ac alibi accipiuntur, aut confidenter dicet ea sumenda juxta opinionem vulgi, quam

 dum

(1) Mo. Phys. viven. n. 132.
(2) Eccle. c. 3. v. 21.
(3) Pro. c. 12. v. 10.
(4) Sb. Ani. brut. di. 1. c. 3. se. 2 pag. 147.

dum credit falsam, jam admittit a Scriptura aliquam falsitatem doceri. (1) *Hoc autem*, dicam cum citato Sbaraglio, *est ita impium credere & arbitrari, ut omnes aliæ interpretationes sint cogitandæ, quam conformatio ad vulgarem opinionem sine veritatis fine. Forte aliter non fuisset loquendi modus idoneus? aut omissio materiæ magis non decuisset, quam ejusdem meminisse, & diversimode, ac in se sit?*

146. Qui dicunt, sacras literas tribuere animam viventem & spiritum brutis quia hæc nomina consonant iis, quæ in brutis apparent, ergo non potest hinc concludi bruta habere animam toto genere diversam a materia, male profecto ratiocinantur. Ex operationibus enim quæ in brutis apparent, quales dum similes fiunt a nobis certiores sumus fieri per animam qua præditi sumus toto genere diversam a materia, alia consequentia legitime non infertur nisi eas fieri etiam a brutis per animam toto genere a materia diversam juxta notum axioma quod similes sunt caussæ effectuum similium, præsertim cum quæ ab adversariis circa brutorum operationes proponitur causa in anima a materia non omnino distincta, sit ineptissima, & notis materiæ attributis repugnans.

ARTICULUS III.

Argumentum ab auctoritate Patrum, & S. Thomæ.

147. QUod pertinet ad Patres, inter alios, quos Laurentius Magalottius (2) protulit, est S. Justinus, qui aperte sub eodem genere collocat animam hominis, & animam bruti; Nam interroganti, (3) *an alia hominis anima, alia equi & asini? Minime*, respondet: *sed eadem sunt in omnibus:* quæ verba intelligenda sunt de identitate generis, non speciei; Nam paulo infra dicit hominem videre Deum, *non eo quod mens sit, sed quia temperans & justa, & quia habet, quo Deum intelligat.*

Est S. Gregorius Nyssenus, qui actiones puerorum & brutorum sub eodem genere ponit, dicens apud S. Thomam, qui eum citat, (4) *Pueri & irrationalia voluntarie quidem faciunt, non tamen eligentia.* Sed actiones puerorum sunt ab anima spirituali: ergo juxta Nyssenum etiam illæ brutorum.

Est S. Augustinus, qui dicit, (5) *Cujusvis pecoris anima quodammodo regit molem suam, sensus omnes exerit, oculos ad videndum, aures ad audiendum, nares ad percipiendum odorem, oris judicium ad sapores discernendos, membra denique ipsa ad peragenda officia sua. Numquid hæc corpus & non anima, idest habitatrix corporis agit?* Alibi quærens quænam res sit, qua homo excellit, ut nulla ei bestiarum, ipse

(1) Id. di. 2. c. 2. se. 2. pag. 256.
(2) Ma. Lett. scient. 11. sub fin.
(3) Just. Dial. cum Triph. n. 4.
(4) Th. 1. 2. qu. 13. art. 2.
(5) Aug. in Ioa. tr. 8. ante medi.

ipse autem multis imperare possit, respondet esse id, quod ratio vel intelligentia dicit solet, (1) *Non invenio*, inquit, *aliud. Si exanimes essent, dicerem nos praestare, quod animum habemus, nunc vero cum & illa sint animalia, id quod eorum animis non inest, ut subdantur nobis, inest autem nostris, ut eis meliores simus, quid aliud rectius, quam rationem vocaverim.*

148. Est S. Fulgentius, (2) *Singulis*, sic ille, *singulos brutos atque irrationabiles spiritus, quibus eadem corpora vivificarentur, Deus inseruit.*

Est S. Gregorius Magnus dicens. (3) *Tres vitales spiritus creavit Omnipotens Deus: unum qui carne non tegitur: alium qui carne tegitur, sed non cum carne moritur: tertium qui carne tegitur, & cum carne moritur, jumentorum, omniumque brutorum animalium.* Hæc tot SS. Patrum testimonia ignoravit Julianus Poncius, qui solum S. Bernardum (4) inter Patres tribuisse brutis animas spirituales scripsit in suis epistolis *de cuniculis philosophicis*, quas anno 1779. Lucæ sub prædicto ementito nomine promulgavit pro peripateticis opinionibus, quibus imbutus fuit, iterum excitandis, iisque submovendis, quæ earum locum iamdiu in Europæ academiis occuparunt.

149. Est itaque etiam S. Bernardus, qui statuit animas brutorum esse spiritus, quos modo vocat (5) *irrationales spiritus*, modo *brutos*, modo *bestiales spiritus* in eo sermone, qui incipit, *Quatuor spirituum genera nota sunt vobis, pecoris, noster, angelicus, & qui condidit istos.* Quod nomen spiritus ipse ibi sumat in sensu rei immaterialis, confirmatur ex eo quod alibi mentionem faciens de iis, qui animam brutorum in tenui quadam materia reponebant, *hanc esse multorum opinionem* eo modo advertit, quo quis significat se aliter sentire. Qui cum Fortunat. a Brixia (6) parvi pendant auctoritatem S. Bernardi, hoc unum obtinent, ut etiam ex hac via cognoscamus illum ipsis esse contrarium.

Est tandem Lactantius, cujus opinio est homines inter & bruta discrimen præcipuum esse, quod homines habeant notitiam Dei, non vero bruta, (7) *Solus*, sic ille, *homo sapientia instructus est, ut religionem solus intelligat, & hæc est hominis atque mutorum vel præcipua vel sola distantia.*

150. Venio ad auctoritatem principis Theologorum S. Thomae, qui admittens bruta cognoscere objecta sensibilia, & secundum has cognitiones atque apprehensiones operari, has dicit (8) *fieri quidem per organum corporale, non tamen per aliquam corpoream qualitatem, quia etsi qualitates corporeæ requirantur ad operationem sensus, non tamen ita quod median-*

(1) Id. lib. 1. de lib. arbitr.
(2) Ful. de Fide ad Petrum.
(3) Po. Cuni. phil. epi. 19.
(4) Gre. Oper. juxta Maur. to. 2. l. 4. Dial. c. 3.
(5) Ber. in Cant. ser. 5. n. 3. & 5.
(6) Br. Phys. part. n. 446.
(7) La. de Ira Dei c. 7.
(8) Th. 1. p. qu. 78. ar. 1.

mediante virtute talium qualitatum operatio animæ sensibilis procedat, sed requiruntur solum ad debitam dispositionem organi. Atque Antonius Goudinus referens hoc testimonium *non fiunt per corpoream qualitatem*, hoc est inquit (1) *per qualitatem pure materialem, sed supra corpus & materiam aliquatenus eminentem, & ad spiritualem ordinem accedentem*: Quæ interpretatio clara est per se, & fortasse superflua, sed eam extra controversiam ponit idem S. Thomas, qui in eodem articulo ad tertium apertissime dicit, *Appetitus animalis consequitur formam apprehensam, & ad hujusmodi appetitum requiritur spiritualis animæ potentia*. Quod conforme est generali ejusdem doctrinæ, (2) *quod immaterialitas alicujus rei est ratio, quod sit cognoscitiva*: Quod (3) *omnis virtus cognoscitiva est immaterialis*: Quod (4) *impossibile est a commixtione elementorum causari aliquam virtutem cognoscitivam*. Hæ S. Doctoris formulæ ac principia, quibus subscribunt ipsius asseclæ, per me satis aperte ostendunt, quod paulo ante (n. 134.) dicebam, præcipuos saltem ex peripateticis negasse brutorum animam esse spiritualem, quoties expresse de hac re quæstio institueretur, quia tunc consulebant præjudicatam nominis *spirituale* definitionem, juxta quam respondebant, eamque, cum ex professo de hoc non agerent, relinquebant, aliamque, quam cum aliis posuimus, exercite amplectebantur.

151. In hac interpretatione me confirmant, qui hæc S. Thomæ principia comparantes cum ejusdem doctrina (n. 100.) de anima brutorum materiali & educta de potentia materiæ fatentur neminem adhuc liquido demonstrasse, quomodo unum alteri non repugnet, quemadmodum intelligi potest ex Sbaraglio, qui (5) diversas rationes hæc inter se conciliandi a diversis excogitatas, esse omnino importunas evicit. At inutilis mihi videtur hæc sollicitudo, cum hæc duo constent, alterum est S. Thomam, cum ab hac terra ad cælestem gloriam fuit evocatus anno 1274, fuisse annorum 48, adeoque quæ scripsit non potuisse omni ex parte perficere. Alterum est ipsum jam monuisse (n. 100.) opiniones philosophicas, quas Sancti sequuti sunt, aliam auctoritatem non habere, quam philosophorum, qui eas tradiderunt: igitur in hac re attendi unice debent, quæ de suo S. Doctor docuit, iis neglectis, quæ a sui temporis philosophis accepit.



A R-

(1) Gou. qu. 1. de Anim. ar. 1.
(2) Th. 1. p. qu. 14. ar. 1.
(3) Id. co. Gent. l. 2. c. 62.
(4) Ibid. & in 2. sent. di. 17. q. 2. ar. 1. Id. de Potent. qu. 3. ar. 11. ad. 17.
(5) Sb. Anim. brut. di. 3. c. 3. se. 1.

ARTICULUS IV.

Argumentum ex auctoritate Doctorum.

152. INter doctores talem locum habent philosophi, ut qui horum alumnum se non fecerit, vix possit in ulla severiorum disciplinarum classe ad veram doctoris laudem aspirare. Aliquos igitur juvat hic philosophos commemorare, in quos incidi, qui aperte docent animam brutorum non esse materialem, vel clarius dicunt esse spiritualem. Atque ab iis incipiam qui ad ordines spectant religiosos, quoniam adhuc sunt aliqui ceteroqui magni æstimati propter multas diversi generis cognitiones quas sibi compararunt, & insignem etiam doctrinam in aliqua scientia ex iis, quæ non postulant ut quis sit eximius ex omni parte philosophus, qui non dissimulant horrorem, siquem audiant, qui in brutis dicat esse animam spiritualem. Præjudicium videas in his natum ex majoribus nostris scholæ peripateticæ addictis, quæ nonnullos adhuc habet sectatores, qui idem credunt esse dicere, canes equi & omnia bruta habent animam spiritualem, ac dicere canes equi & omnia bruta non differunt ex parte animæ ab hominibus, quin eos ab hoc præpostero judicio revocent allatæ contra ipsos Scripturæ & Patrum loquutiones; Nam has quidem diversis modis interpretantes tam peripatetici, quam cartesiani contendunt nobis non favere, & sibi non adversari, & alias nobis confidenter opponunt, quarum aliquas supra jam (n. 89.) diligenter examinavi, & alias inferius observabo. Multo autem minus commoventur ab iis, quæ ex S. Thoma pro anima spirituali brutorum afferuntur; Nam in promptu habent pro contraria ejusdem sententia, anima in ipsis materiali, tam multa ejusdem testimonia, ut si illorum pondus numero responderet, quæ sunt pro spirituali, evanescerent.

153. Itaque ex Doctoribus pro nostra propositione primo occurrit Sfortia Pallavicinus S. J., qui in libris *de Bono* Romæ publicatis anno 1644, adeoque ante annum 1659., quo Cardinalis fuit renunciatus, hæc habet (1) *Animæ belluarum nonnihil supra corporatæ materiæ humilitatem efferuntur*, quæ dum lego, vellem nunquam brutis tribuisset (n. 118.) *appetitiones, & apprehensiones materiales*, quandoquidem hæc repugnat haberi ab anima, quam in illis agnovit esse supra materiæ humilitatem elata: sed impetu fortasse immensæ peripateticorum turbæ abreptus tunc fuit. Ejusdem religiosi instituti sunt celebres philosophi. Ignatius Monteirus, quem supra (n. 134.) audivimus statuentem, omnia bruta habere animam immaterialem, ibidem addit eam *esse spiritum plures contendunt philosophi etiam catholici*, quos imitatur inferius con-

(1) Pa. de bono l. 5. c. 23.

concludens, *Bruta veram habent immaterialem animam, imo & spiritualem*. Sigismundus Storchenaus postquam retulit controverti an anima brutorum spiritualis dicenda sit cum iis, qui contendunt essentiam spiritus constitui per vim cognoscendi, an immaterialis cum aliis, qui putant ad notionem spiritus pertinere intellectum & voluntatem, quam dicit esse litem de nomine, concludit (1) *quicquid tenueris a vero non aberrabis*, idemque supra (n. 132.) vidimus statui ab Josepho Mangold, & juniore ejus fratre Maximo, jam celebri propter *Reflexiones in Alexandri a S. Joanne de Cruce continuationem historiæ Ecclesiasticæ Claudii Fleurii*, impressas Augustæ Vindelicorum anno 1783, quibus multas ipsius falsitates ex auctoribus haustas Ecclesiæ catholicæ inimicis ipsique proinde admodum contumeliosas demonstrat & confutat. Ejusdem ordinis sunt, qui aperte brutorum animas spirituales dicunt Regnaultius (2) Janzlinszkius (3), & Michael Klaus (4).

154. Idem sentiunt ex Congr. Matris Dei Joseph. Massarius (5): Ex Capuccinis doctus philosophus & medicus Paulus M. Astensis (6): Ex Clericis regularibus S. Pauli, vulgo Barnabitis Jo. Philippus Monti, in cujus dissertatione Bernense *Excerptum* italicæ & helveticæ literaturæ pro anno 1760. dicit *immaterialitatem animæ brutorum solide demonstrari*: Ex Congreg. Præsbyterorum sæcularium missionis illi, qui ad usum Collegii Alberoniani novam compararunt editionem philosophiæ Sagnerii S. J. qui ex dictis (n. 134.) docet has animas esse *entia immaterialia*. Antoninus Valsecchi Ord. Præd. (7) & Alphonsus Nicolai S. J. (8) laudant Boullierium, qui animam brutorum esse spiritualem propugnavit in specimine de hac anima, quod primum prodiit Amstelodami anno 1728, quorum laus penitus opprimit vehementem, sed nullius momenti improbationem, quam contra ipsum Guerius (9) post Auctorem *Bibliothecæ ratiocinatæ* (10) exaravit.

155. Venio ad alios non religiosos sed vel primæ, vel certe non ultimæ notæ philosophos. In his est Laurentius Magalottius qui omnium disertissime & copiosissime animam brutorum esse spiritualem contendit (11). Pro eadem spiritualitate bis disseruit Petrus Angelus Papi, semel sponte ut ita dicam (12), & iterum quasi coacte, ut nimirum responderet Alexandro Pascoli, qui sub Arcadico Sosili Molossii nomine ejus dissertationem impugnaverat. Illud in hac responsione intollerabile est, quod credat animam brutorum, etsi non sit materialis, esse tamen eductam ex materia, tum quia inquit (13) *Deus ex quolibet potest facere quod*.

(1) St. Psycho. n. 278. sch. 1.
(2) Re. Entr. phy. t 4. ent. 2. sub fin.
(3) Jn. Metaph. di. 3. n. 329.
(4) Hl. Phys. spec. n. 185.
(5) Ma. Reli. nat. n. 212.
(6) Ast. Psych. pa. 1. di. 2. & 3.
(7) Va. Fond. d. relig. l. 1. c. 5. n. 8.
(8) Ni. Ragion. vo. 3.
(9) Gu Ani. d. Bes. v. 2. c. 2.
(10) Bi. Raiso. t. 1. p. 2. n. 10.
(11) Ma Let. Famil. 23 & 24. del 1682
(12) Pa. scr. Crit. tr. 3. scrut. 1.
(13) Id. Risposta a Sosilo pag. 26.

quodlibet, quod verum est de omnibus, quæ non involvant contradictionem, cujusmodi est transmutatio entis corporei in ens spirituale: tum quia videtur sibi simile exemplum haberi in spiritu vini, qui vinum non est, etsi ex vino extrahitur. At in hoc exemplo si neget spiritum vini fuisse antea diffusum per vinum, falsum dicit: si autem concedat in eo fuisse, nec spiritum dici, quia quid materiale non sit, sed quia vini pars est subtilior, jam fatebitur nullum esse exemplum pro anima, quam propugnat in brutis non esse quicquam materiale.

156. Ex Italis est etiam Scipio Maffejus apud Nogheram (1), & Antonius Genuensis (2), & fortasse Anonymus, a quo apud Ephemerides Lit. Rom. (3) lego publicata typis florentinis *de anima brutorum commentaria*, quibus natura spiritualis asseritur opportunis quidem argumentis, sed confusis & implicato modo propositis, dissimulatisque aut non dissolutis præcipuis difficultatibus, & multis præterea intermixtis, quæ censuram merentur. Atque hanc revera Romana Indicis Congregatio tulit prohibens hunc librum donec corrigatur.

157. Ex Anglis sunt Whistonus (4), Colliber clarus ex aliis libris anglice scriptis, de quibus meminit Bibliotheca Britannica (5), & Homfridus Ditton (6), qui si bene memini Anglus pariter est. Ex Gallis est Yvon in Encyclopædia (7), & Condillacus (8). Ex Germanis est celebris Wolfius (9) cum permultis qui ipsum studiose sequuti sunt. Sed quid diversas regiones percurro, philosophos alicujus nominis inquirens pro spiritualitate vel immaterialitate animæ brutorum, cum dici possit idem sentire omnes cujusvis gentis & temporis literatos, Chaldæos, Hebræos, Arabas, Persas, Græcos, Latinos, apud quos Petrus Benedicti homo linguarum cognitione clarissimus, & celebris propter latinam versionem ex Syriaco plurium operum S. Ephrem Syri, quæ continentur in volumine 4, & 5, & parte sexti qui ultimus est in Romana editione anni 1732 ad 1746, testatur referente Magalottio (10) inveniri voces significantes vitam & spiritum adhibitas promiscue pro Angelis, pro Hominibus, & pro Brutis.

158. Ad hanc ex auctoritate argumentationem referam, quod Cudworthius sub his verborum anfractibus Platonicis expressit circa animas brutorum (11) *Animæ brutorum sunt radii quidam, ut ita loquar, & emanationes caussæ supremæ, ex qua vita omnis proficiscitur, quæ materiam tum ingrediuntur, quum apte satis temperata est ac disposita, ut recipere eas, & vicissim ab illis commoveri possit. Addo radios istos tamdiu materiæ*

(1) No. Rifles. a. fu la nat.
(2) Ge Metaph. p. 2. appe. §. 12.
(3) Ef. aun 1777. n. 33. ar. Firenze. H.
(4) Wi. Astron. princ. p. 6.
(5) Bi. c. 4. p. a. n. 2.
(6) Dit. Rel. chret. supp. sec. 7.
(7) En. ar. Ame des be.es.
(8) Co. Tra. des animaux.
(9) Wo. Psych. rati. n. 749.
(10) Ma. Lett. scien. 11. sub fin.
(11) Cu. Syst. Intell. c. 1. §. 35.

teria adjunctos esse, quamdiu ea statum, quem dixi, retineat. Conclude recedere, & ad caput fontemque suum reverti corporibus ita depravatis, ut in illis operari nequeant amplius. Namque eum, qui rem quamdam ex nihilo effecit sponteque emanare jubet, eamdem posse vel ad principium suum revocare, vel etiam pro libito in nihilum convertere nemo negaverit. Jo. etiam Christophorus Wolfius visus est putare per hæc verba Cudworthium docuisse inesse brutis animas spirituales cognoscentes quidem, sed non intelligentes. Cudworthius inquit brutis (1) *destinavit naturas a fingendi formandique facultate appellatas Plasticas, quæ intelligentia quidem sint destitutæ, immateriales tamen sint, ac suo munere ordine constanti defungantur, quamquam actionis suæ sibi non sint consciæ*. Jo. tamen Laurentius Moshemius in suis ad Cudworthium notis accipiens ipsius verba in sensu quodam magis proprio sic eum jure impugnat: animas brutorum esse radios & emanationes supremæ caussæ, ex qua vita omnis proficiscitur, vel significat esse partem ipsius Divinæ Naturæ, & hoc repugnat philosophiæ & religioni: vel significat esse partes alicujus animæ totum mundum informantis, distinctæ a Deo juxta sententiam Platoni attributam, & hoc non solum tam inaniter dicitur, quam ipsa hæc anima mundi adstruitur: sed etiam tam absurde, ut etiamsi permitteretur existere hanc animam universalem, adhuc demonstrari possit, quod diligenter exequutus est Dittonius (2), impossibile esse, ut brutorum animæ sint ipsius partes: ergo in nullo ex his sensibus dici potest animas brutorum esse radios aut emanationes supremæ caussæ. Jo. tandem Clericus apud Trevoltianos (3) dicta Cudworthii interpretatur tamquam significantia *operationem ipsius Dei, quæ det brutis motum, quem anima illis daret*. Hæc interpretatio incidit in opinionem Barbierii supra (n. 1.) impugnatam.

ARTICULUS V.

Argumenta a ratione.

159. I. ARguitur cum Boullierio, Genuensi (4), Bonnote (5), & Alphonso Nicolai (6) sic. Gratis & temere affirmatur Deum volentem creare substantiam spiritualem debere creare vel Angelum vel animam hominis, & non posse ereare aliquam speciem intermediam, cui conveniat facultas cognoscendi & appetendi solum sensibilia, non vero spiritualia, qualis tribuitur in hac sententia animis brutorum. Auctor

(1) Wo. Manicheism. se. 3. n. 23.

(2) Di. Reli. Chre. supplem. se. 8.

(3) Tre. an. 1703. ar. 116. p. 1187.

(4) Ge. Metap. p. 2. app. n. 17. §. Quod pertinet.

(5) No. Erreurs de Voltai. to. 2. c. 27 ar. 2.

(6) Ni. Ragion. vol. 1. Osservaz.

ctor quidem A. D. (1), & Guerius (2) id affirmarunt, dicentes repugnare substantiam creatam spiritualem, quæ nequeat efficere cognitiones, ad quas aliæ substantiæ creatæ spirituales pares sunt, & illas determinate cognitiones, quæ sunt de objectis spiritualibus, & de Deo ejusque merito, ut a suis creaturis colatur: sed nullam sui dicti rationem protulerunt: neque alius quisquam ex Adversariis adhuc ostendit ullo argumento petito sive ab intrinseco sive ab extrinseco substantias spirituales animis rationalibus inferiores non esse objectum Omnipotentiæ Divinæ. Cum igitur hæc circa puros spiritus sit plane Divina, quippe juxta Theologos duce S. Thoma (3) innumeras Angelorum species creavit, eademque circa corpora organica oculis ipsis subjiciatur prorsus admirabilis in tanta ipsorum specifica diversitate, quæ per gradus diversos a minimis & vix sensibilibus ascendit ad maxima, temere omnino crederetur limitata ad duas substantiarum spiritualium species efficiendas, Angelum & animam hominis.

160. Quod dico, video jam antea ab aliis observatum. Paulus M. Astensis inquit (4) *quemadmodum res inter materiales differentiam, eamque insignem admittere cogimur, v. g. inter solem lunam aurum aquam, a quibus singulis pro indole ipsius materialitatis alius atque alius producitur effectus, ita quoque inter immaterialia gradus diversi concedendi sunt.* Ignatius Monteirus ait (5) *ab homine, nobili creatura rationali ad infimam usque, si qua dari potest, spiritualem substantiam, innumeras a Deo creari posse species, quis philosophus inficiabitur?* Ipse S. Thomas, qui ex dictis (n. 150.) pro nobis certe est quantum ad animam brutorum spiritualem, pro nobis etiam est quantum ad diversas ipsarum species. Nam ejus doctrina est (6) *quod animalia bruta propinque se habent secundum genus ad hominem, quæ in eodem die cum homine facta sunt*, cujusmodi sunt terrestria: *pisces autem magis a natura hominum differunt, unde & alio die sunt facti.* Ecclesia certe catholica nihil circa hanc controversiam definivit, & quamvis in Concilio Lateranensi (7) facta distinctione creaturarum in spirituales & materiales, de solo homine dicat illum esse compositum ex utraque, non tamen id negat de brutis, sed de illis silet.

161. Confirmatur hoc argumentum sic. Peripatetici admittunt in brutis animam materialem, quæ habet potentiam cognoscendi distinctam ab illa animæ hominis, quia materialis circa particularia & sensibilia dumtaxat versetur: illa autem hominis seu spiritualis universalia expendit & immaterialia percipit, ejusque proinde vis non limitetur ullo temporum aut spatiorum intervallo: ergo juxta illos non repugnat dari

K 2 ens

(1) A. D. c. 11. pag. 95.
(2) Gu. Anim. delle best. vol. 2. c. 2.
(3) S. Th. 1. p. q. 50. ar. 4. ad 1.
(4) As. Psycho. p. 1. di. 2. n. 5. sub. fin.
(5) Mo. Phy. viven. n. 144.
(6) Th. 3. p. q. 44. ad 1.
(7) Lat. Cap. Firmiter.

ens præditum facultate percipiendi dumtaxat ſenſibilia, & nullum aliud inter nos & illos diſcrimen eſt, niſi in eo, quod ipſi dicunt id, quod cognoſcit ſola etiam ſenſibilia eſſe materiale, nos vero dicimus illud eſſe ſpirituale & toto genere diverſum a materiali propter rationes, quibus ſuadetur (1) materiam non poſſe cognoſcere. Confirmatur iterum ex illis Auctoribus, ut Gabriele Daniel (2), Floriano Dalham (3), Para (4), Benedicto Stattler (5), qui a Peripateticis prorſus diſcedunt, negantes animas brutorum eſſe materiales, & ſola deterriti definitione ſubſtantiæ ſpiritualis, quam ſibi quodammodo præſcribunt, quod ſit ſubſtantia habens intellectum & voluntatem dicunt eas eſſe ſubſtantias medias inter ſpiritualem, & materialem prout ſupra (n. 135.) declaratum fuit: ergo etiam juxta horum ſententiam non repugnat dari ens præditum ſola facultate cognoſcendi & appetendi ſenſibilia.

162. II. Arguitur ex motibus, quos in brutis obſervamus. Sicuti ex his evidenter concluditur ut ſupra (n. 27.) vidimus, bruta non eſſe meras machinas, ita ex iisdem ipſorum animam eſſe ſpiritualem ſic demonſtratur. Motus brutorum in omnem partem & directionem modo cum majori, modo cum minori velocitate, & quocunque modo interruptus quantalibet quiete, & uno verbo nihil differens a motu ſpontaneo, qualis eſt ille, quem ex noſtra experientia ſcimus provenire ex directione & imperio animæ ſpiritualis adeoque cognoſcentis, non poſſunt provenire neque a materia, qua corpora brutorum conſtant, quippe ea eſt eſſentialiter iners, neque poſſunt per ſolas leges mechanicas explicari, quippe hæ dependent ab inertia materiæ, ut fuſius exponit Georgius Cheyne (6): ergo proveniunt a principio, quod habet in ſe vim activam, & eſt brutis vel extrinſecum vel intrinſecum: Sed non poteſt dici, quod proveniant a principio brutis extrinſeco; Nam hinc ſequeretur non exiſtere animam in brutis, quod dici non poſſe (n. 13.) jam evicimus; ergo dicendum provenire a principio ipſis brutis intrinſeco, anima ſpirituali. Quotidiana ſunt exempla hujuſmodi motuum in brutis, & ſubitarum mutationum motus in quietem, & quietis in motum, & unius celeritatis in aliam, quin ulla appareat horum cauſſa proportionata, quæ mechanica ſit. Ita aves volant turmatim per unam cæli partem, & en repente ad conſpectum hominis vel alterius rei, quæ illas terreat, & quaſi de aliquo periculo ſuſpicionem creet, perniciſſime divertunt, & diſſipantur. Currit equus vel canis quantum poteſt, quando ex improviſo ſiſtit viſa fovea vel flumine. Lepus & Vulpes, quæ ſuum iter habebant expeditum, ſi ſibilum audiant, aut ſtrepitum aliquem, jam ſuſpendunt motum, omnia circumſpiciunt, arrigunt aures, & obſervant ſiquid cavendum ſit.

163. III. Ar-

(1) De ideis n. 310. edit. 2.
(2) Da. Suite du Voya. du Mond.
(3) Da. Pſychol. §. 158.
(4) Pa. Metaph. n. 336. & 344.
(5) Sta. Pſychol. §. 434.
(6) Che. Princ. filoſ. c. 3. §. 11.

163. III. Arguitur. Bruta cognoscunt: ergo habent animam spiritualem. Antecedens inferius distincte suadebitur. Illud tamen hic non omittam advertere Gauchatum, qui nefas credit dicere animas brutorum esse spirituales, aliquando concedere hoc antecedens; Nam admittit bruta habere sensationes doloris & voluptatis consequenter (1) *ad necessitatem ipsis impositam suæ conservationis*. Quod hoc loco has sensationes vocet *machinales*, credo fecerit ne contradictionis argueretur, propterea quod superius (2) dixerat *non esse in brutis sensationem ullam, cum hujus notio importet illam spiritualitatis*. At quinam est sensus horum terminorum sensatio machinalis? Propositam interea consequentiam spiritualitatis animæ ex ipsius cognitionibus iterum iterumque intulit jam Cicero dicens (3) *nihil esse animis mixtum atque concretum, quod ex terra natum aut factum esse videatur, nihil humidum aut flabile aut igneum; His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ cogitationisque habeat*. Eamdem Episcopus Le Franc (4), & Colliber (5), & Andreas Baxter in sua anglica *inquisitione naturæ humanæ* (6) necessariam credunt; postquam dubitari nequit de absurditate opinionis, quæ concedat bruta cognoscere per animam, quæ consistat in tenuissima materia vel in forma substantiali materiali in sensu peripatetico. Illi enim inquit Storchenaus (7) qui *cum Gassendistis aut Peripateticis animam compositam, sed tamen vere sentientem brutis tribuat, nullum amplius argumentum superest, quo simplicitatem animæ humanæ demonstret*.

164. IV. Arguitur. Anima quæ habet memoriam etiam post longum tempus est anima, quæ eadem est etiam post longum tempus; Nam dum certo quodam modo cognoscit, ideas præsentes alio etiam tempore se habuisse, necesse est ut eadem ipsa sit nunc, quæ alias fuit. Sed bruta saltem pleraque habent memoriam, ut inferius ostendam: ergo habent animam, quæ eadem est post longum etiam tempus: Atqui materia qua corpora brutorum constant, non est eadem post longum etiam tempus; Mutatur enim decursu temporis sanguis caro, & sin minus omnes, pleræque saltem corporis partes variantur: ergo materia qua constant corpora brutorum, non est eorum anima?



A 2.

(1) Ga. Lett. crit. 12.
(2) Ga. ibid. pag. 278.
(3) Ci. Tusc l. 1. n. 66.
(4) Fr. Preten. phil. 2. carac.
(5) Co. Cogit. de ani. to. 2.
(6) Ba. sec. 2.
(7) St Psych. n. 278. sch. 2. n. 2.

ARTICULUS VI.

Objectiones ex auctoritate.

165. I. Objicitur. Scriptum est, (1) *Producant aquæ reptile animæ viventis*, & infra, *producat terra animam viventem, jumenta, & bestias*: Ergo aquæ & terra producunt animas brutorum: sed aquæ & terra non possunt producere animas quæ sint quid spirituale: ergo animæ brutorum nullo modo sunt spirituales.

Resp. con. ans, & nego consequ, primo quia anima vivens ut notant interpretes valet idem ac animal, quod significat corpus organicum animatum, non solam animam. Secundo quia scriptum est producant aquæ & terra animalia in eodem sensu ac dictum supra fuit (2) *germinet terra herbam*, quod ex alibi (3) dictis significat ex terra jam antea creata germinet herba, quam Deus ipse fecit, adeoque etiam producant aquæ & terra animas viventes, significat ex aquis & terra prius creatis facta esse a Deo animalia. Hic sensus extra controversiam est, quandoquidem post objecta verba habemus, *creavit Deus omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ: & fecit Deus bestias terræ*, prout supra etiam (n. 90.) adverti.

166. II. Objicit Dalembertius anno 1783 Parisiis mortuus (4). Scitum est illud S. Augustini, *sub Deo justo nulla creatura potest esse misera sine culpa*: Sed hoc salvari nequit in hypothesi, quod bruta habeant animam spiritualem; tunc enim sequitur dicendum habere vitam satis miseram sine ulla culpa: ergo.

Resp. I. nego maj. S. Augustinus non loquitur eo modo universali de omni creatura, sed de solo homine, ejusque verba hæc sunt, (5) *sub Deo justo miser esse quisquam nisi mereatur, non potest*. Hanc textus depravationem objicienti exprobravit Abraham Chaumeixius (6), ejusque abusum reprehendit jam Yvon (7) in aliis, in quibus commemorari debet Ludovicus Racines filius Joannis celeberrimi tragici, natus Parisiis anno 1692, qui eadem usus est pro fundamento secundæ ex suis poeticis epistolis supra bruta meras machinas, & ejus interpres Coltellinius, qui in præfatione dixit *ab hoc magno S. Augustini principio inferri debet tamquam indubitata consequentia bestias nihil in se habere, quod materiale non sit*, & in notis ad hujus epistolæ versionem addidit, *Principium S. Augustini conforme est sacræ Scripturæ, quæ ait* (8), *ipsum qui non*

(1) Gen. c. 1. v. 20.
(2) Gen. c. 1. v. 11.
(3) De cau. effic. n. 238.
(4) Da. in encyclopæ. ar. Forme.
(5) Au. ope. imper. l. 2. ar. 39.
(6) Ch. Prejug. se. 3. c. 8. ar. 1.
(7) Yv. in encycl. ar. Ame des bet.
§. L'objection.
(8) Sap. c. 12. v. 15.

non debet puniri condemnare, exterum æstimas a tua virtute. Qua ratione, quod nulli jam in mentem venerat visus est velle esse revelatum bruta non esse nisi machinas. Sed cum aperte ibi Scriptura loquatur definite de hominibus incidit in novum abusum priori pejorem.

167. *Resp.* II. *omitto maj.*, quoniam non est hic locus illos impugnandi, qui Scripturæ & Augustini verbis utuntur tamquam axiomate, quod intelligi debeat de omni anima etiam bruta, neque illos qui ex alia quacunque ratione quod de hominibus dicitur, de brutis etiam volunt affirmandum. Atque in his fuerunt jam olim asseclæ cujusdam sectæ Mahatazel dictæ, qui referente Rabbi Maimonide celeberrimo hebræorum doctore mortuo anno 1209 ætatis suæ 70, interrogantibus (1) *propter quodnam peccatum mactetur animal irrationale, dicunt hoc in ipsius bonum cedere, ut Deus ipsis retribuat in sæculo venturo. Quin immo de cæde pulicis & pediculi sic sequitur quod fiat propter retributionem a Deo. Ita de mure innocente a fele vel accipitre capto & discerpto dicunt sapientiam Dei hoc super isto mure decrevisse, & propterea quoque in sæculo venturo retributionem ipsi daturum*. Simile quid nuper commentus est Joannes Hildropius, qui in anglico libello Londini anno 1742 edito, *Liberæ cogitationes circa creationem brutorum, seu examen lusus Patris Bougeantii*, primum quidem omnes brutorum labores calamitates & mortem censuit esse effectum peccati Adami, abutens pro hac sua opinione verbis scripturæ, (2) *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*, quasi vero statim non expresserit Scriptura illud intelligendum esse de homine, dicens, *& ita in omnes homines mors pertransiit*: deinde vero iisdem auguratur feliciorem statum in futura rerum omnium reparatione. In vigesimo primo volumine Bibliothecæ Britanicæ (3) habetur hujus opinionis abundans declaratio & impugnatio, quam iterum quasi descripsit Guerius (4), & alia totius operis censura in Annalibus literariis Italiæ (5).

168. Omissa autem majori *nego min.*, quam non suadet allata ratio, quod data brutis anima spirituali necesse sit dicere ea esse misera sine ulla culpa, quam rationem ceteroqui magni facit Yvon (6) & multo magis Coltellinius, qui hanc præsumptam necessitatem vocat (7) *præcipitium*, in quod anticartesiani ruunt. At hi hoc non dicunt, & ne possunt quidem dicere, quia sicuti solus ille tranquillus est & gaudens, qui scit se talem esse, ita ille solum miser est, ut alibi etiam (8) dixi, qui scit se esse miserum: & sicuti tranquillitas & gaudium majora aut minora sunt pro diversa futuri prospicientia, ita miseria crescit aut minuitur, & nulla etiam sit, quando non solum omnis abest conscientia mise-

(1) Ma. Doct. perplex. p. 3. c. 37.
(2) Ad. Rom. c. 5. v. 12.
(3) Bib. p. 2. ar. 1.
(4) Gu. Ani. d. best. vol. 2. c. 2.
(5) Anu. to. 2. l. 1. c. 8. n. 5.
(6) Yv. in encycl. ar. ame d. bet.
(7) Ca. in 2. Racin. epi. in not.
(8) De mundo. n. 348.

miseriæ, sed nulla etiam esse potest cogitatio futuri, ut accidit animæ brutorum irrationali.

169. Quod dicitur de justitia & bonitate divina, hæc attributa salva semper sunt in quovis statu sint bruta, quia imprimis ea non respiciunt creaturas, de quibus affirmari nequit esse vere miseras aut felices utpote irrationales: deinde quia eorum ratio non postulat, quod Deus nolit suas creaturas subjici ulli dolori, aut malo naturali, sed solum quod id nolit nisi indirecte; quatenus vult bonum alicujus generis, quod necessario requirit aliquod malum physicum, quemadmodum homo qui vult bonum comestionis aut calefactionis, indirecte vult destructionem ciborum aut lignorum. Itaque in malis brutorum, quæ ex arbitrio hominum non pendent, bonum quod Deus directe intendit, est eorum species conservare & renovare, & alia existere bona in hac terra, quæ ab ipsis proveniunt: in illis vero, quæ ex hominum arbitrio pendent, bonum a Deo intentum est commodum hominum, qui sunt creaturæ longe perfectiores brutis, & ad quas bruta ipsa sunt ordinata, data illis anima quasi pro sale ad ea in nostros usus conservanda. Tandem bonitas Dei in suas creaturas, quæ vitam in hac terra vivunt, in eo etiam consistit, quod nulla sit, in qua pensatis omnibus numerus bonorum, quibus fruitur, non superet numerum malorum, quibus subjicitur: quod sine controversia est verum in brutis. Sed de his alibi (1) distinctius jam dixi.

ARTICULUS VII.

Objectio a brutis per eorum sectionem multiplicatis.

170. OBjicitur. Anima brutorum est divisibilis: ergo non est spiritualis. Consequentia est legitima. Antecedens autem probatur ex motibus, qui observantur in singulis partibus quorumdam animalium, etiam postquam mutuo fuerunt separatæ: & prorsus demonstratur ex variis speciebus insectorum, quæ per sectionem multiplicantur in nova animalia, eaque perfecta in sua specie. Res est in comperto non jam ex solis recentiorum observationibes, ut supponitur in *Notitiis literariis transalpinis*, quæ italice incoeperant prodire Romæ anno 1742 per typographos Palearinos, sed ex illis etiam veterum. Unam enim ex his retulit jam olim Plato dicens (2) *Pisciculi qui Psettæ vocantur, scissi ex uno duo efficiuntur.* Aliam refert S. Augustinus (3) a se ipso admodum admirante factam coram multis, qui secum illam contemplabantur. De aliis mentionem jam fecerant Ignatius Pardies mortuus anno 1673 ætatis suæ 37, & Carolus Rosignolius, qui obiit anno 1707, ætatis 76. Sed nostra ætate hæc animalium per ipsorum divisionem propagatio multo

(1) De Mundo n. 348. & in l. de Mase n. 170.

(2) Pl. Convi. in laud. Aristoph.

(3) Au. de quant. ani. c. 32.

multo magis celebris evasit ex observationibus Trembley circa annum 1740 in Hollandia initis, quas cum ex eo nosset Reaumurius, suis ille amplificavit, easque retulit in tomo sexto de Insectis, & alii deinceps hos imitati auxerunt, ut Lyonettus in notis ad Lesserium (1), & plures Galli & Romani Philosophi apud citatas notitias, & Patavini ac Bononienses apud Jacobum Riccati (2).

171. *Resp. nego ans* absolute, scilicet brutorum animas esse divisibiles, quod ceteroqui multi affirmant de solis insectis, quæ vocant animalia imperfecta. Ad primam autem probationis partem, quæ est de motibus, qui observantur in partibus animalium invicem separatis, dico opus esse, distinguamus inter motus in singulis partibus perbreves: & motus in una tantum parte non diuturnos, secus in aliis: & tandem motus in singulis partibus diuturnos, & quales in insectis non læsis observantur. Quando motus perbreves sunt, & cito truncata membra sine motu & vita apparent, repeti hi debent ab organica eorum constructione, quæ vel in prima animalis vulneratione determinata fuit ad similes motus, vel si jam antea erant in motu, nec ipsa directe læsa sint ac dissoluta, paulatim solum ex legibus inertiæ vel resistentiæ ad quietem accedent, non secus ac aliquandiu durant circumvolutiones trochi, ad quas per manum semel fuerit determinatus, vel si in nullo antea motu erant, illum nunc habent per erumpentes spiritus animales intra fibras dispersos, harumque consequenter alterationem ex sublato per divisionem a ceteris membris æquilibrio, & frigore sensim superveniente. Atque primo quidem modo dicam contingere vibrationes, quas videmus in caudis lacertorum jam disruptis & a toto corpore separatis: secundo autem modo accidit motus cordis, systole & diastole rite alternantibus, qui observatus fuit per aliquod tempus in canibus, quorum caput fuerat amputatum: secundo autem & tertio simul modo credam fieri motus, qui auctore Lambertino (3) per plures horas observantur in ranis, quorum caput recisum, cortex detractus, & cor avulsum, nec aliter dicam de palpitationibus cordis a suis vasis jam resecti in animali vivente, quas ultra diem visas fuisse in corde salmonis eviscerati, & ipsius aquosa sanie aspersi refert Riolanus (4).

172. Quando vero hi motus diuturniores sint in una parte, & brevissimi in alia, ut accidit in crocodilo Americano, aliter Caiman appellato, cujus caput divisum a trunco post dies duodecim jam putrefacto mordere ut prius, adeoque vivere ex testibus de visu refert Laurentius Hervas (5), non aliter id explicandum est, ac explicetur quomodo aliqua pars corporis recisa in homine per aliquod breve tempus aliquantulum moveatur, reliquæ vero partes diutius etiam vivant præsertim si pos-

(1) Le. Theol. l. 2. not. 7. sec. 2. c. 2.
(2) Ri. Oper. to. 2. l. 1. c. 15. n. 3.
(3) La. de beat. l. 4. p. 1. c. 31. n. 5.
(4) Ri. de circ. sang. di. 3. c. 2. sec. 7.
(5) He. Idea dell' univ. to. 7. c. 12. §. 2. in not.

possint curari. Hoc enim intelligitur provenire ex eo quod pars quæ brevi immobilis fit, motus illos habuerit ex dissolutione machinæ, ceteræ autem partes in vita perseverent, quia quæ amputata fuit, non erat omnino necessaria ad hominis vitam, sed solum ad integritatem corporis pertinebat. In quo notandum est discrimen hominem inter & multa insecta, quod in homine caput est pars ad ejus vitam necessaria, non vero in illis, ut patet in muscis & aliis insectis, quæ Redius (1) truncato capite vidit & descripsit viventia per totos quinque dies.

173. Restant motus in singulis partibus diuturnos, ita ut concludatur singulas partes evasisse totidem animalia, quæ est altera probationis pars, habita a multis tamquam demonstratio divisibilitatis animæ brutorum, vel argumentum quod vehementer omnes anticartesianos perturbat, ut ajunt citatæ Notitiæ literariæ, & repetit Coltellinius (2). Sed falluntur qui sic credunt; Nam ex his observationibus non infertur divisibilitas animæ brutæ, sed quod singulæ partes, ut ait Para (3) *sint æquivalenter duplex individuum: in quibus proinde duplex erat anima:* quatenus ut alii apud Hauserum (4) explicant, externa horum animalium forma est quasi receptaculum, in quo plura simul habitant animalcula, quæ a ceteris impune sejungi possunt, quæ explicatio non inverisimilis est visa Maximo Mangold (5). Eadem declarari potest exemplo animalium viviparorum, in quibus quot sunt foetus jam maturi, totidem sunt individua, & totidem animæ.

174. Accipiam exemplum, quod meliorem huic objectioni suggerit responsionem, dicendo ex illa divisione non inferri multitudinem neque individuorum neque animarum sub uno quasi involucro, sed inferri eorumdem propagationem; Nam quemadmodum ex eo, quod ex ovis incubatis generentur novi pulli non infertur anima aliqua in illis divisa, ita neque ex ea multiplicatione insectorum per sectionem unius infertur illius animæ divisio. Res autem declarari potest cum Scipione Maffeio (6) post Sennertum (7), & Sbaraglium (8) per hoc, quod sicuti dantur plantæ, quæ semen ad productionem mechanice faciendam novæ plantæ continent diffusum per amplius spatium, ut apparet in fructu ficus & mali punici: quin immo dantur plantæ quarum singulæ partes humi convenienter defossæ fiunt similes arbores, ita dantur insecta, quorum partes aliquæ grandiores etiam dissociatæ, si sint in convenienti sibi loco, vel terra scilicet vel aqua, possunt explicari in simile corpus organicum, cui debetur sua anima, & ut ipse ait *quævis pars hujusmodi insectorum per vim genitricem in ipsis diffusam se habet ad instar ovi fœcundati*. Hæc responsio præ ceteris placet citato Mangold. Eamdem proponit Monteirus,

(1) Re. Gener. degl' inse. p. 101.
(2) Co. not. in sec. lit. Ravi.
(3) Pa. Metaph. n. 346.
(4) Ha. Phys. parti. p. 10, n. 714.
(5) Ma. Psycho. n. 86.
(6) Ma. Formaz. de fulm. lett. 12.
(7) Se. Hypomnem. 4. c. 8.
(8) Sb. Ani. brut. di. 3. c. 2. se. 7.

rus, qui ait (1) dum *latentia in frustis perfecti animalis semina evolvuntur, & in perfectum organicum corpus conformantur, Deus peculiarem animam immaterialem seorsim infundit*, idque *non incongrue fortassis dicitur*, inquit Storchenaus (2).

175. Eamdem confirmat experimentum Kirckerii, quod apud citatum Hauserum sic habet: lumbricos exsiccatos pone in concha lateritia, terræ pinguis, & dulcis plena, & aqua pluviali subinde asperge, plures lumbrici intra dies tres aut quatuor pullulabunt: Eosdem jam arescentes si placet divide in partes aliquot, & humi insere, habebis post pluviam copiam lumbricorum. Quod de his segmentis retulit Kirckerius, habent citatæ (n. 170.) Notitiæ visum esse in illis factis ex vivis lumbricis. Quare jure Andrius & alii apud diarium literatorum Italiæ (3) improbarunt illos, qui in morbo vermium, quo pueri maxime affligantur, præscribebant haustus pulveris confecti ex iis corporis humani vermibus, qui lumbrici appellantur, tanquam salutares. Putant enim infundi hac via seminium novæ generationis, & iis qui testantur illis haustis dolores cessare & plures vermes egeri, respondent primum accidere, quia qui intus sunt, non amplius agitantur, nec viscera mordent occupati in esu dati cibi iucundi, secundum vero quia adulti ampliorem locum quærentes viam ingressi sunt facilis expulsionis. His interea omissis redeo ad adversarios, quos male ratiocinari suadeo ex S. Augustino, qui postquam retulit observasse se singulas partes multipedis animalis etsi invicem separatas adhuc progredi, respuit cogitationem de materialitate adeoque divisibilitate animæ, quam sibi tunc in mentem venisse profitetur dicens (4) *nisi multa mihi nota essent de corpore, ad dandam palmam iis qui corpus esse animam dicunt, declinarem*.

ARTICULUS VIII.

Objectiones ex aliis rationibus.

176. I. OBjicitur. Primaria differentia inter animam hominis & spiritum angelicum est illam destinatam esse ad unionem sui cum corpore: Nam (5) *Angelus*, inquit Antoine *definitur substantia creata spiritualis adæquate completa per se ipsam, quæ ultimæ voces continent differentiam; Nam anima hominis non est substantia completa per se ipsam, cum ordinetur ad hominem cum corpore constituendum*: Sed si etiam animæ brutorum sunt spiritus destinati ad unionem sui cum corpore, jam ea differentia inter Angelos & homines non est primaria: ergo animæ brutorum non sunt spiritus.

L 2 177.

(1) Mo. Phys. viven. n. 135.
(2) St Psyco. n. 270. in fin.
(3) Gio. to. 1. ar. 18.
(4) Au. de quan. ani. c. 31.
(5) An. de Angel. c. 1. ar. 2. corol.

177. *Resp.* I. *nego maj.* Nam primaria rerum differentia est illa quæ vocatur specifica: hæc autem desumitur a perfectione rebus ipsis intrinseca, non ab extrinseca, cujusmodi est earum ordinatio ad aliud. Quare quæ communius assignatur inter angelos & animas hominum est eas opus habere ratiocinio in permultis suis cognitionibus, secus vero angelos, qui proinde vocari etiam solent intelligentiæ (1). *Quod* inquit S. Thomas, *anima humana non sit ejusdem ordinis cum angelis, ipse diversus modus intelligendi ostendit*. *Resp.* II. *omitto maj. & nego min.* Nam ea differentia inter animas rationales & spiritus angelicos remanet integra, adeoque etiam primaria siquis velit sic eam appellare quia prima nobis cogitantibus occurrit. Hoc tamen verum erit eam non esse differentiam propriam soli animæ rationali, cum conveniat etiam animabus irrationalibus.

178. II. Objicit Malebranche (2). Anima quæ est in brutis, est propter ipsorum corpus: ergo nequit esse quid spirituale.

Resp. dist. ans. Anima brutorum est propter ipsorum corpus, quatenus est pars quædam & quidem principalis totius bruti, quæ ordinatur ad illius corpus, ceu forma ad subiectum, *conc. ans*: est propter ipsorum corpus, quatenus finis creationis hujus animæ sit corpus, *nego ans*. Finis enim creationis animarum brutorum est ut existat compositum animatum: hujus autem finis proximus est homo, cujus commoditati omnia bruta ex dictis alibi (3) destinata sunt. Quare consequentia nulla est, hujusque probatio importuna, cum subjaceat eidem æquivoco per distinctionem antecedentis jam detecto.

179. Instant. Deus creavit bruta ad usum hominum: ergo Deus non solum potuit, sed debuit creare bruta sine anima spirituali. Probatur consequentia. Homo utitur corporibus, non animis brutorum tum in cibum, tum in alios usus: ergo.


Resp. conc. ans & nego conseqm. Ad probationem concedo primam partem antecedentis, & nego secundam cum consequentia. Vescimur quidem solis carnibus vel corporibus brutorum, sed in aliis omnibus usibus ad conservationem & oblectationem vitæ utimur tum animis tum corporibus brutorum; Nam vivis equis transvehimur, animatis bobus aramus, avibus alacribus oblectamur, & sic de aliis.

180. Instat iterum Gauchatus (4). Deus hominem constituit dominum brutorum (5): ergo non est in brutis principium ullum spirituale. Pro hac consequentia, quæ concesso antecedenti negatur, binas affert rationes, quas *magni ponderis* vocat. Altera est, quod a divina sapientia abhorret constituere homines dominos brutorum, quæ in se habeant principium aliquod spirituale, licet imperfectius illo, quod est in ipsis hominibus: Sed hæc ratio nullius est momenti, & prorsus negatur. Altera

(1) Th. 1. par q. 118. ar. 3.
(2) Ma Defe.co.M.de la Ville pag.19.
(3) De Mundo n. 347.
(4) Ga. Lett. crit. 22.
(5) Gen. c 9. v. 3.

tera eſt, quia Angelos licet perfectiores hominibus non conſtituit Deus noſtri dominos. At ex hoc quod verum eſt, non infertur propoſitum.

181. III. Objicit Carteſius, (1) *Mea opinio* de brutis meris machinis *pia eſt erga homines, quos nempe a criminis ſuſpicione abſolvit, quoties animalia comedunt vel occidunt*. At hoc aſſumptum peccat falſa ſuppoſitione de crudelitate vel alio crimine hominum, qui carteſianam ſententiam non ſequuntur, & bruta tenent habere animam, dum ea occidunt etiam ad cibum, ut alibi (2) planum feci. Illud ſolum hic advertam, quod qui eo modo loquitur, vel nunquam legit, vel tunc non meminit de iis quæ Deus dixit Noe & filiis ejus, (3) *omne quod movetur & vivit erit vobis in cibum, quaſi olera viventia tradidi vobis omnia*. Interea etiam Pope incidit in hanc falſam Carteſii ſuppoſitionem, quoniam in tertia ex ſuis poeticis epiſtolis *de homine*, ipſi exprobrat brutorum occiſionem tamquam horrendum facinus, & quam maxime etiam probroſum, quippe per illud homo fit ut ipſe ait *carnifex & ſepulcrum* tantæ viventium multitudinis, quod eſt unum ex multis quæ Gauchatus (4) in his Popes literis reprehendit, utpote repugnans allato Scripturæ teſtimonio.



PRO.

(1) Ca. Epi. p. 1. epi. 67. ad Mornm
(2) De Mundo n. 347.
(3) Gen. c. 9. v. 2.
(4) Ga. Lett. crit. 22. pag. 300.

PROPOSITIO V.

Animas brutorum non esse immortales revelatum non est, nec demonstratum.

ARTICULUS I.

Declaratio propositionis.

183. Are brutis animas spirituales sive cognoscentes credidit Cartesius importare ut detur ipsis etiam immortalitas; immortales autem esse brutorum animas tam inverisimile reputavit, ut elegerit statuere bruta esse meras machinas, (1) *ad illud*, inquit *brutorum cogitatio est imperfectior nostra, nihil est quod respondeam, nisi quod si illa cogitarent ut nos, animam etiam ut nos immortalem haberent, quod non est verisimile*. In quibus verbis reprehendit jam Sbaraglius (2), apud quem hæc epistola est quinquagesima quarta, quod cum sibi obiecisset brutorum cogitationes nostris imperfectiores, responsionem aggreditur dicendo, *si cogitarent ut nos*: Idem Cartesius alibi dicit (3) *Non est tam probabile vermes & reliqua animalia immortali anima præditas esse, quam machinarum instar se movere*. Etiam Alphonsus Nicolai in suis sermonibus in sacram Scripturam dixit (4) *periculosum esse & plusquam durum affirmare & credere* bruta habere animam immortalem.

184. Ut videamus quanti momenti sit hæc objectio, opus est unam eligere definitionem ex pluribus, quas de immortalitate Auctores sequuti sunt. Neque enim credo adversarios velle spiritualitatem generice sumptam, hoc est sine limitatione ad proprietatem alicujus substantiæ, connecti necessario cum immortalitate. Hoc enim esse falsum dicunt omnes theologi, qui habitus virtutum supernaturalium, quibus donamur in justificatione, docent esse de genere entis spiritualis, eosque in iis deficere ac nullos fieri, qui graviter ab justitia defecerint. Quid quod quotidie nobis constat actus animæ nostræ, quos nemo nisi materialista negat esse spirituales, ita carere immortalitate, ut sæpe quod mane intelleximus, vesperi obliti simus, & quod modo nolebamus, paulo post velimus, & viceversa. Ex diversis autem immortalitatis definitionibus, hæ mihi occurrunt.

185. Una dicit, immortalitas est permansio entis in suo esse sine ullo

(1) Ca, Epist. pat. 1. ep. 58.
(2) Sb. Ani. bru. di. 3. c. 2. sec. 5.
(3) Ca. par. 1. epi. 67.
(4) Ni. to. 2. lez. 13.

ullo fine, & fine ulla mutabilitate. Hanc habemus in celebri Apostoli pronunciato, (1) *Solus Deus habet immortalitatem*: Hac posita quis non videt ex data spiritualitate animis brutorum, & cuivis creaturæ nunquam inferri hanc ipsarum immortalitatem, quam S. Bernardus appellavit *veram & integram immortalitatem*, *quod omnis mutatio quædam mortis imitatio est. Omne & enim quod mutatur, dum ex uno ad aliud transit esse, quodammodo necesse est moriatur quod est*, quemadmodum jam antea S. Augustinus (2) & S. Gregorius Magnus (3) dixerant.

186. Altera dicit, immortalitas est permansio entis non solum in esse suo substantiali, sed etiam morali sine ullo fine. Hæc placuit Leibnitio (4), & Condillaco apud Trevoltianos (5). Explicant autem esse morale per conscientiam bonarum & malarum actionum. Atque quoties hæc sit de malis, toties habetur ea animæ mors, de qua Augustino interprete (6) scriptum est, *sine mortuos sepelire mortuos suos*. Quare anima inquit *ita mortalis ex aliqua caussa invenitur, ut etiam immortalis non sine ratione dicatur*. Juxta hanc definitionem, quoniam esse morale non cadit in bruta, quippe proprium est entis intelligentis, nequit concessa animis brutorum spiritualitate, concedi etiam hæc immortalitas: Quando Christianus Wolfius (7) affirmavit animas brutorum esse *incorruptibiles, nec cum corpore interire, & manere post fatum suum superstites*, negavit vero esse *immortales, eo quod post mortem suam meminisse nequeant, quo in statu durante vita extiterint*, crediderim huic immortalitatis notioni hominem Leibnitianum adhæsisse.

187. Tertia sit, immortalitas est permansio entis in suo esse non solum substantiali sed etiam vitali sine ullo fine. Hanc invenias in S. Augustino, qui de anima nostra loquens ait (8), *ideo dicitur immortalis, quia non desinit vivere atque sentire*. Storchenaus ex eadem ratione amplectitur hanc definitionem. Quare inquit ad immortalitatem (9) *satis non est, ut ens existentiam semper continuet, verum etim requiritur, ut functiones suas vitales perpetuo obeat*, quas alii apud ipsum etiam determinant docentes requiri (10) *ut in statu perceptionum distinctarum perseveret, & ut sui conscientiam, statumque præteritorum recordationem retineat, eosque ad se pertinere agnoscat*. Atque juxta hanc definitionem non possumus quicquam de brutorum animarum immortalitate statuere; nam ut idem ait (11) *fieri potest, ut a destructo iam corpore separatæ cogitare nequeant, quo casu existentiam quidem, non tamen vitam continuarent*.

188. Quarta sit, immortalitas est permansio entis in suo esse sine ullo fine

(1) Ad Tim. ep. 1. c. 6.
(2) Au. tr. 23. in Joa. & co. Maxim. l. 3. c. 12
(3) Gr. Mor. l. 12. c. 17.
(4) Le Theod. p. 1. n. 89.
(5) Tr. ann. 1755. ar. 110. pag. 293.
(6) Au. ad Hieron. epi. olim. 28.
(7) Wo. Psych. ration. p. 2. n. 758.
(8) Au. de civ. l. 13. c. 2.
(9) St. Psych. n. 246.
(10) St. Psych. n. 267. Schol.
(11) St. Psych. n. 278. Scho. 2. n. 1.

fine ex defectu caussæ tum intrinsecæ tum extrinsecæ, quæ ipsum in nihilum redigat. In hoc sensu, & in alio proxime superiori intelligenda est propositio. Nam verum quidem est animas brutorum, quæ sint spirituales non habere ullam caussam deficiendi neque intrinsecam neque extrinsecam si sermo sit de caussis creatis, non intrinsecam, quia ut iam dixit Plato apud Tullium (1) anima spiritualis *cum simplex natura sit, neque habeat in se quicquam admixtum dispar sui, atque dissimile, non potest dividi: quod si non possit, non potest interire*: non vero extrinsecam quæ sit creata, quia sicuti nulla creatura quicquam potest creare, ita ne potest quidem quicquam in nihilum redigere. At non constat nobis, an careant etiam caussa extrinseca hujus destructionis increata. Hoc enim pendet a determinatione Deo libera, de qua nullam contendimus factam nobis esse revelationem, qualem habemus circa spiritus angelicos & humanos, qui pariter ut ajunt theologi apud Antoinem (2) *cum sint creaturæ, possunt annihilari a Deo, secluso præsenti decreto divino eos in æternum conservandi*. Quare bene Ignatius Monteirus illatam ex data brutorum animabus spiritualitate immortalitatem sic excipit (3), *immortales sunt, hoc est caussæ naturales illas nunquam dissolvent aut destruent, concedo: in æternum durabunt, nego, id enim aliunde debet probari*.

189. Id autem non probant, qui sic arguunt: quod est substantia spiritualis est de se vita quædam (4), *est*, inquit S. Augustinus, *anima vita quædam, unde quod animatum est vivere, omne autem inanime, quod animari potest, vita privatum intelligitur . . . Quicquid vita desertum, mortuum dicitur, id ab anima desertum intelligitur: hæc autem vita quæ deserit ea quæ moriuntur, quia ipsa est animus, & seipsam non deserit, non moritur animus*. Ergo si animæ brutorum sunt spirituales, necessario vivunt: ergo sunt immortales. Non probant inquam quia concesso antecedenti, consequens sic excipitur, necessario vivunt quamdiu existunt, concedo, secus nego. Et retorqueo contra illos argumentum; quod est substantia spiritualis, est de se vita quædam, quamdiu illa substantia existit, sed solas animas hominum certum est ex revelatione in æternum existere, ergo solas animas hominum certum est in æternum victuras.

190. Neque illi probant, qui dicunt animas brutorum, si sint spirituales, non componi ex materia, nullumque in mundo locum occupare, quæ sunt rationes duæ, propter quas intelligitur, quare Deus velit continuas rerum materialium vicissitudines in novis corporum productionibus, antiquioribus destructis: quibus accedit tertia quam Cartesius sic proposuit, *nullum habemus argumentum, quod persuadeat mortem seu annihilationem substantiæ, qualis est mens, sequi debere ex tam levi caussa, qualis est figuræ mutatio, quæ nihil aliud est, quam modus, & quidem non modus mentis, sed corporis a mente realiter distincta*; Hæ enim rationes nullam Deo necef-

(1) Tu. de Senect. c. 21.
(2) An. de Angel. c. 1. ar 2. conol.
(3) Mo. Phys. viven. n. 153.
(4) Au. de immort.

ceſſitatem inferunt ad animas brutorum conſervandas poſt diſſolutum corpus illis conjunctum.

ARTICULUS II.

Argumentum pro nulla de mortalitate animæ brutorum revelatione.

191. PRima propoſitionis pars, revelatum non eſſe animas brutorum non eſſe immortales probatur, quia nullibi neque in verbo ſcripto, neque in verbo tradito extat hæc revelatio. Hæc certe ignota penitus fuit S. Auguſtino, qui occiſo pecore (1) *quid agatur de illius anima*, nihil voluit ſtatuere, idemque alibi dicens (2), *utrum aliqua natura, hoc eſt ſubſtantia prorſus ad nihilum redigatur, diſputatio ſubtiliſſima eſt*, ſatis declarat ſe nullam vidiſſe rationem ſufficientem ad decidendam controverſiam de mortalitate animæ brutorum. Ignota pariter fuit eruditis & accuratis theologis atque philoſophis, ut Sigiſmundo Storchenao S. I., qui ait (3) *quid cum beſtiarum animis poſt corporis corruptionem divina providentia conſtituerit, omnino ignoramus*. Ignota Floriano Dalham Cler. regul. e ſcholis piis, qui eas credit (4) poſt diſſolutum corpus ſuperſtites: Ignota permultis optimæ notæ philoſophis, & quod hic maxime attenditur probis catholicis, qui meſempychoſim in brutis admiſerunt, vel de ea dubitarunt, ut inferius oſtendam: Ignota tandem iis omnibus qui profitentur in hac quæſtione, quid fiet de anima brutorum, corpore ipſorum diſſoluto, nihil eſſe, quod determinate ſtatuatur a nobis, quos de hoc nec revelatio inſtruit, nec ratio, nec experientia nec conjectura.

192. In his eſt Auguſtinus Calmet mortuus anno 1757. ætatis ſuæ 85., præclariſſimum noſtrorum temporum decus propter inſignem doctrinam, quæ in tot ſuis libris elucet, & ſingularem vitæ integritatem, quæ apparet in ejus deſcriptione, quam nobis gallice dedit ejus nepos Auguſtinus Fange, & italice anno 1770 reddidit ampliſſimus Eccleſiæ romanæ præſul Benedictus Paſſionæus. *Sit*, inquit Calmet, *immortalis, ſit æterna anima brutorum, eſt hoc commune materiæ, nunquam reipſa natura ſua deficientis*. Similia habent Whiſtonus (5), Genuenſis (6) Honufrius Ditton (7), Epiſcopus Le Franc (8), & D. M. ſupra (n. 49.) citatus, & Anglus Hildrop in ſuis *liberis cogitationibus* ſupra etiam citatis (n. 167.), quæ propter hanc ſaltem opinionem non ſubiacent cenſuræ. Quam inepti igitur ſunt auctor A. D., qui contra animas brutorum quæ dicantur eſſe ſpirituales primum deſumit argumentum ex eo quod Fides nos docet eas carere im-

M mor-

(1) Au. c. Adimantum c. 12.
(2) Au. c. adverſ. leg. & proph. l. 1. c. 6.
(3) St. Pſych. n. 288. ſcho. 2.
(4) Da. Pſych. n. 160.
(5) Wh. Aſtron. princ. p. 6. n. 1.
(6) Gen. Metaph. p. 2. de brutis n. 17.
(7) Di. Relig. chriſ. in fine
(8) Fr. Pret. filoſ. 2. carac.

mortalitate, & Yvon encyclopædista, qui ait (1) *eadem revelatione qua nobis constat nostra immortalitas, constare etiam hoc privilegium datum non esse animis brutorum*.

193. I. Obiicitur a Melchiore Cano (2), in Genesi de brutis dicitur (3) *Producant aquæ reptile animæ viventis*, & iterum *Producat terra jumenta & reptilia*: de homine vero facta distinctione ipsius corporis ab anima, de corpore scriptum est (4) *Fecit Deus hominem ex limo terræ*: de anima vero, *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*: Sed hujusmodi diversæ enunciationes *manifeste indicant ceterorum viventium animas in potentia materiæ esse, hominis spiritum non esse*: ergo indicant spiritum quidem hominis non subjacere dissolutioni, adeoque esse immortalem, non vero animas brutorum, sed has corrupta materia ex qua sunt, evanescere.

Resp. *nego min*. Supra (n. 90.) jam observatum fuit male argui ex hoc Geneseos loco pro anima brutorum materiali, male igitur etiam ex illo arguitur pro earum mortalitate. Dicam autem Moysem loquutum esse distinctim de hominis corpore ejusque anima, quia nostra maxime interest de ea edoceri, non vero de illa brutorum, quæ ad curiositatem unice spectat. Immo contra ipsum ejusque animadversionem sic arguo: Genesis eodem modo loquitur de creatione brutorum, ac de illa hominis; de brutis enim dicit (5) *Creavit Deus cete grandia & omnem animam viventem. Fecit Deus bestias terræ*: de homine vero (6) *Creavit Deus hominem*: ergo quod deinde significat animam hominis non habere originem a materia, idem intelligendum est significare de anima brutorum.

194. II. Obiicitur. Dum Ecclesiastes dicit (7), *quis novit si spiritus filiorum Adam ascendit sursum, & spiritus jumentorum descendat deorsum*, per illud ascendit sursum significat immortalem esse spiritum hominis, & per illud descendit deorsum significat interire illum brutorum una cum corpore, *quod* (8) *discrimen*, inquit Estius, *paucis mortalium cognitum esse, illa sua interrogatione Ecclesiastes significare voluit*: Ergo habetur revelatio de negata animabus brutorum immortalitate.

Resp. *nego ant*. Adducta autem Estii interpretatio non solum est arbitraria, sed etiam absona. Imprimis enim falsum est paucos nosse spiritum hominis esse immortalem, cum unum ex pervulgatis pro ejus immortalitate argumentis sit consensus communis: & iterum falsum est paucos nosse animas brutorum in nihilum abire, cum aliqui quidem id coniiciant, nemo autem sciat. Reliquum igitur est, ut eum sensum in prædictis verbis agnoscamus, quem Emanuel Sa, adeoque communiter probati interpretes proponunt, nullum hominem *ratione naturali* ea nosse de quibus ibi agitur.

A R-

(1) Yu. in ency. ar. Am. des bet §. 5. l'ame
(2) Ca. Loc. the. l. 12. c. 15.
(3) Gen. c. 1. v. 20. & 24.
(4) Gen. c. 2. v. 7.
(5) Gen. c. 1. v. 21. & 26.
(6) Ibid. v. 27.
(7) Eccle. c. 3. v. 21.
(8) Es. in 2. sent. di. 17. §. 4.

ARTICULUS III.

Argumenta pro nulla de mortalitate animæ brutorum demonstratione.

195. SEcunda propositionis pars demonstratum non esse animas brutorum non esse immortales I. probatur, quia nemo unquam hoc dixit: sed alii ut Cudworthius apud Trevoltianos (1), Sherlokius (2), & Maupertuisius (3) dixerunt opinionem de brutorum anima temporaria non esse absurdam, probabilem appellavit Storchenaus hujus ætatis celebris & religiosus metaphysicus (4) ex quibusdam quas adducit rationibus: maxime verisimilem dixit Yvon (5). Ex iis qui certam supposuerunt quin tamen ullam attulerint rationem, sunt S. Gregorius Magnus cum ea in hac re dixit, quæ supra (n. 148.) retuli, & S. Bernardus cum ait (6), *primum spirituum genus ita corpore egere constat, ut nec subsistere abque illo possit: simul quippe & vivificare definit, & vivere ille spiritus, quando moritur pecus*, & Gennadius Massilieusis, auctor libri *de Ecclesiasticis dogmatibus*, olim S. Augustino adscripti, quo aliquando usus est S. Thomas ad probandas vel confirmandas suas propositiones, quando ait, *solum hominem credimus habere animam, quæ exuta corpore vivit: animalium vero animæ cum carne nascuntur & moriuntur*. Ex his Gennadii verbis apparet eo modo loquutos esse hos Patres, non quia scirent animas brutorum non esse immortales, sed quia ita tunc communiter credebatur.

196. Nihil dico de S. Basilio, qui sic monet (7), *Cave existimes animam pecoris post carnis dissolutionem permanere*; nam ex dictis (n. 85.) ita est loquutus ex recepta tunc apud philosophos suppositione, quod anima brutorum esset quid ex materia eductum, juxta quam pariter dixit S. Thomas (8) quod *anima sensitiva corrumperetur corrupto corpore*. Aliquid autem supponere, non est illud demonstrare.

197. Certam quidem pronunciarunt Lessius (9), Daniel Bartoli (10) & immensa peripateticorum turba. Sed attendi hi non possunt, quoniam eorum assertio nititur vel in auctoritate, quæ non est omni exceptione major, vel in falso ex dictis n. 106. ipsorum dogmate, quod hæc anima esset forma materialis. Certam recentius supposuit Dalembertus, dum professus fuit se non videre, cur Deus non dederit immortalitatem brutis, postquam *iis indidit principium sentiendi simile illi, quod in nobis est*, quæ verba merito fuisse jam acriter reprehensa inferius ostendam. Certam tandem

(1) Tr. ann 1703. ar. 116. pag. 1190.
(2) Sh. Immort. c. 2. se. 2
(3) Ma Lett. 5.
(4) St. Psychol. n. 218. scho. 2. n. 1.
(5) Jv. in encyclope. ar. ame des bet §. si nous
(6) Be. in cant. ser. 5.
(7) Ba. Hexam. hom. 8. n. 2.
(8) Th 1. p q. 118. ar 1.
(9) Le. de immor. n. 1. 4. & 53.
(10) Ba. Ricr. del Savi. l. 2. c. 8.

dem ſupponunt quotquot apud Lambertinum (1) quærunt, an reſurrectio dici poſſit nova vita, ad quam Sancti aliquando beſtias revocarunt, ut ex authenticis hiſtoriis habemus, quandoquidem cum ipſorum animam in eorum morte ſupponant in nihilum abiiſſe, dubitant an in redivivis dici poſſit eadem numero, ac erat ante mortem, quam identitatem aliunde poſtulat communis acceptio hujus nominis reſurrectio.

198. II. Probatur, quia nullius momenti ſunt rationes, quæ pro mortalitate animæ ſolent afferri ut ex earum examine, quod iam ſubiicio patebit. I. Ajunt: Anima brutorum etſi immaterialis deſtructo corpore nequit amplius cognoſcere & appetere materialia & ſenſibilia, quorum ſolum capax eſt: ergo ne poteſt quidem amplius exiſtere. At imprimis hic gratis ſupponitur unicus finis creationis animæ brutorum eſſe cognoſcere & appetere ſenſibilia. Deinde hoc etiam permiſſo, poterunt huic fini ſatis facere per metempſychoſim, quæ non demonſtratur in illis repugnare, ut jam dicam.

199. II. Ajunt. In hypotheſi, quod animæ brutorum non intereant cum corpore, illæ jam ſeparatæ vel meditantur res a materia abſtractas, nec amplius ſiſtunt in cognitionibus rerum ſenſibilium, vel penitus otiantur, vel tranſmigrant ex uno corpore in aliud. Atqui non poteſt dici, quod ſeparatæ meditentur ſive percipiant res a materia abſtractas, quia hac facultate dicuntur eſſentialiter expertes: nec poteſt dici quod remaneant otioſæ, quia hi termini, ſpiritus iners, fortaſſe involvunt contradictionem: neque poteſt dici quod tranſmigrent ex uno in aliud corpus, quia hæc tranſmigratio nequit niſi uſque ad finem hujus noſtri mundi & generationis humanæ durare: ergo dici non poteſt animas brutorum eſſe corporibus ſuperſtites.

200. *Reſp. tranſeat major*, quando adæquata ſit propoſita diſiunctio, quod negabit Leibnitius (2) putans bruta animalia non pati metemphychoſim, ſed metamorphoſim vel per augmentum vel per diminutionem ejuſdem animalis. Quod tamen infert ex ſuo quodam commento, quod omnia animalia ſint a prima rerum conſtitutione creata, & naſci dicantur, cum illorum corpuſcula explicari incipiunt, & rurſus dicantur mori, cum iterum involutioni (3) ſubiiciuntur animalium organa, non quidem craſſa, quæ diſſolvi faſſus eſt propter evidentiam, ſed aliqua magis tenuia, in quibus manet animal (4), ut ipſe repoſuit Bernoullio, qui inter multa, quæ ipſi objecit (5) illud etiam fuit mortem animalis præſeferre (6) organorum diſſolutionem non involutionem.

201. Quod pertinet ad minorem, concedo eius primam partem, & omitto ſecundam, hoc eſt quod repugnet brutorum animas ſeparatas remanere otioſas, quod ceteroqui nullo modo ſuadetur dicendo haberi contradi-

(1) La. de Beat. l. 4. p. 1. c. 21. n. 5.
(2) Le Comm. phil. epi. 82. & 84.
(3) Ibid. epi. 82.
(4) Ibid. ep. 86.
(5) Ibid. ep. 87
(6) Ibid. epi. 85.

traditionem in his terminis spiritus iners, quasi idem sint ac hi alii, spiritus otiosus, cum sint longe diversi; Spiritus enim iners significat spiritum, qui non habet facultatem cognoscendi, & utique contradictionem habent hi termini spiritus iners, quoniam ea facultas in notione spiritus continetur: at spiritus otiosus significat spiritum qui eam facultatem non exercet, in quo nulla est repugnantia, ut optimo jure supponunt, qui ex dictis supra (n. 187.) docent fieri posse, ut brutorum animæ cum sunt a suis corporibus separatæ existant sine vita, seu actione ulla; Nam passim auctores commentitiam propugnant esse opinionem, quæ dicit animas etiam in dormientibus, & in utero matrum adhuc inclusis aliquid semper cognoscere, ut alibi (1) exposui.

202. Nego autem ultimam partem; Nam data transmigratione animarum brutalium ex uno in aliud corpus nihil absurdi est quod cum finem habebit generatio hominum, pro quibus bruta creata sunt, ea a Deo penitus destruantur. Sed hoc incertum est; Nam finis generationis humanæ, qui certo juxta sacram Scripturam est futurus, non infert finem ceterarum rerum. Interea brutarum animarum transmigrationem, sed in alia bruta ejusdem speciei a nullo demonstratam esse absurdam dixit acutus eruditus & religiosus metaphysicus Para (2), & ne demonstrari quidem posse censuit Card. Polignac, qui ait (3).

. . . Si Phythagoram sequerer, vel gymnosophistas,
Atque ferarum animas aboleri morte negarem,
Et nova perpetuo nascentum in corpora ferri,
Dic oro, qui me falsi convinceere possis?

203. Henricus Morus ad hanc opinionem amplectendam urgeri putat quotquot magni æstiment Cartesii ingenium, quoniam ipso Cartesio judice negari nequit animæ brutorum immortalitas, nisi (4) *universa bruta insensatas machinas statuendo*. Eadem satis probabilis visa fuit Whistono (5), placuit multis apud Petrum Papi (6), & Boullierium, eidemque subscribit Bougeantius (7) quoties fides catholica non obstet, quam jam vidimus (n. 191.) non obstare, & ratio non repugnet, quam ex modo dictis docti philosophi nullam esse, vel nullam adhuc ab ullo fuisse propositam censuerunt. Idem eam etiam amplificat volens ad præcidendas varias difficultates, ut quæ fuerat prius anima unius bruti, possit destructo ejus corpore evadere anima alterius etiam de genere insectorum. Sed equidem nescio, quonam modo superabitur hinc nascens difficultas circa proprietates brutorum specificas timiditatem leporis, audaciam leonis, fidelitatem canis, mansuetudinem ovis, ferociam tigridis, quæ non poterunt amplius pertinere ad essentiam illarum animarum.

204. Quod

(1) De Ideis n. 701. edit. 2.
(2) Pa. Elem. de metaph. n. 146.
(3) Po. Autiluc. l. 6.
(4) Mo. epi. 76. inter Cartesi. p. 1.
(5) wh. Astron. princ. p. 6. n. 1.
(6) Pa. Sacr crit. tr. 3. scr. 1. n. 1.
(7) Bu. su le best. p. 2. §. quanto poi

204. Quod autem sibi hoc modo videatur facile percipi, cur aliquando emergant innumerabiles vermes, murium exercitus, locustarum nubes, ex animabus scilicet brutorum quorumcunque, quæ post pestem vel stragem aliquam pecorum transmigrant ex imperio Dei ulciscentis fortasse peccata alicujus gentis, ad animanda ova alicujus speciei, quorum miram vim produci ab aliquibus animalibus novimus, alii qui volunt conservatam in ipsarum metempsychosi speciem corporum, quibus datæ sunt pro forma, rem explicabunt per frequentiorem interitum in aliqua terræ parte eorum animalium, quæ præter morem in alia regione aliquo tempore nascantur. In hac hypothesi locum habent hæc, quæ nescio quis cecinit

Plaudite cornipetæ, salientes plaudite vaccæ,
Lanigerique greges, pennigerumque genus;
Vita etenim vestris animis ex funere restat,
Restat & in corpus posse redire novum.

205. III. Ajunt. Bruta creata sunt propter homines, ut Sacra Scriptura docet: ergo cum ad homines amplius non pertineant corrupto corpore, ne animæ quidem illorum amplius sunt. At cum ille finis creationis brutorum revelatus est, alius qui esse potest non est exclusus: & ne ille quidem quando esset unicus, cessat habere locum admissa in brutis metempsychosi. Hoc interea argumentum pro anima in brutis mortali attulit etiam S. Bonaventura (1), quasi illud confirmans, quod ii usurpant, qui credunt esse materialem, quos ipse (n. 101.) sequutus est.

206. IV. Ajunt Admittere in brutis metempsychosim est dare ansam ad eam statuendam etiam in animis hominum. Dicere animas brutorum, sic Josephus Mangold, (2) *de uno in aliud corpus commigrare ansam prabet id ipsum de animabus hominum judicandi*. At hæc ansa, quæ fortasse poterat fuisse sub philosophis ethnicis, contrita jam est & penitus deleta nostris temporibus, quia religio revelata certiores nos facit animas hominum existere separatas a corpore, cui nunc sunt conjunctæ usque ad tempus universalis judicii, quo eidem iterum unientur.

207. V. Ajunt. Bruta creata sunt cum tali dependentia a corpore, ut sic Sbaraglius (3) *anima illorum immaterialis ex natura sua cesset esse, quemadmodum species intentionales, & lumen ex sua natura desinunt remotis corporibus, a quibus effluunt ob dependentiam talem a subjecto, sive ob exiguam entitatem, sive alio modo*. At hoc certe modo nemo dicet mortalitatem hujus animæ demonstratam, qui noverit perperam tribui particularem entitatem lumini, cum non sit nisi effectus quidam substantiæ lucis, quæ certum motum habeat, & prorsus fingi specierum intentionalium entitatem ut alibi (4) demonstravi. Quivis autem qui animam bru-

(1) Bo. in 2. dis. 19. ar. 1. q. 2.
(2) Ma. Phy 2. part. 1. n. 165.
(3) Sb. Ani. brut. di. 3. c. ult. pag. 583.
(4) De ideis n. 225. in 2. edit.

brutorum dicit esse substantiam toto genere diversam ab illa materiæ, jam mordicus negat dici posse, quod habeat exiguam entitatem, eamque quæcunque sit *necessario dependere* a materia ut existat, quippe de notione substantiæ est eam posse existere sine ullo subjecto.

208. Atque qui apud eumdem Sbaraglium legerit, quod superius dixit (1) *est certissimum animam brutorum non esse immortalem, sicut certissimum est apud nos bruta non cogitare ut homines*, quoniam secundum est evidens, non item primum, jure exaggerationem hic dicet haberi non demonstrationem. Qui vero apud eumdem inferius legerit, *anima brutalis a Deo creata cum necessaria dependentia a corpore brutali, corrupto hoc immediate desinit esse sine aliqua corruptione*, dicet hæc idem significare ac animam brutorum corpore corrupto amplius non existere, quia Deus ita decrevit. Quod non est demonstrare sed comminisci.

209. VI. Ajunt. Bruta nunquam produnt spem aut timorem alterius vitæ, nec ullam cognitionem meriti aut demeriti: ergo non convenit illis alia vita post præsentem, & proinde abeunt in nihilum. At etiam materia remota est ab his & omnibus cogitationibus & affectionibus, attamen creditur in sempiternum duratura.

Mitto illos qui animam brutorum dixerunt mortalem consequenter ad eam opinionem, quod anima brutorum nihil aliud esset quam eorum sanguis (n. 84.) quæ consequentia tota corruit ex demonstrata falsitate illius fundamenti. Mitto etiam peripateticos, qui docuerunt eam deficere cum corpore, quia educta est de potentia materiæ, quoniam hæc doctrina communiter jam explosa est tamquam vaniloquentia.

210. Mitto tandem Joannem Cadonicum, qui dicit animas brutorum etsi spirituales non esse immortales, quia non habent rationem (2), quæ est intelligentia veritatum æternarum, quoniam ex intelligentia hujusmodi veritatum vel tamquam attributo quodam ipsi animæ ut ait adiacente, vel tamquam ipsamet substantia animæ, particeps fit anima rationalis immortalitate. Quis enim hominem attendat, qui non videt illegitimam esse hanc argumentationem, hoc ens non habet intelligentiam, aut non est intelligentia veritatum æternarum: ergo non potest in sempiternum existere. Deinde quidnam sibi vult animam rationalem participare immortalitatem a suo actu intelligendi veritates æternas, quasi vero hic actus esset Deus ipse, vel ens aliquod habens de se immortalitatem.



PRO-

(1) Sb. Ani. bru. di. 3. c. 2. se. 5. pag. 442.

(2) Ca. confut. di Derham, n. 8.

PROPOSITIO VI.

Ex negata immortalitate animæ brutorum non infertur negari eam posse etiam animæ hominum, quia hujus immortalitas divinitus revelata est, & habet pro se multas rationes sibi proprias.

211.  Ropositio opponitur Leibnitio, qui ait, (1) *si animas in brutis interire posse semel concedas, difficile erit animarum nostrarum immortalitatem tueri*, quam rationem approbat Mettrie (2), de quo alibi (3) dixi, eamque fortasse sequutus est, quando homo materialista in suo *Antiseneca* aperte inter fabulas recensuit animarum nostrarum immortalitatem. Eadem ratio jam ante placuerat Malebranchio (4), qui propterea vocat periculosam opinionem, quæ tribuit brutis animam distinctam a corpore, & contrariam Cartesii prædicant Henricus Morus (5), & Yvon (6), & Racines Junior cum suo interprete Coltellinio (7) tamquam faventem religioni, quos imitatus est Fortunatus a Brixia (8). Contra illos igitur dico, quod dato, quod Deus redigat in nihilum animas spirituales brutorum destructo eorum corpore, hinc non infertur idem facere de animis hominum, sed infertur idem posse facere, de quo nulla potest esse controversia: sicuti ex eo quod Deus creaverit hunc mundum, non sequitur alios creasse, sed posse alios creare. Cum autem ipse revelaverit se animas hominum in æternum conservaturum, non potest non credere Deo, qui Deum credat. Quare debent timores a Leibnitio excitati evanescere, fautorumque plausus extingui.

ARTICULUS I.

Revelationes de immortalitate animæ hominum.

212. REvelatio de immortalitate animarum nostrarum habetur expresse primo quidem in veteri Testamento. In eo enim legimus Deum dixisse (9) *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, & paulo infra, *creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad ima-*

(1) Le. Confor. de la foy. n. 10.
(2) Me. Home-machine. pag. 104.
(3) De Ideis n. 115. edit. 2.
(4) Ma. Defen. con. M. de Ville pag. 36.
(5) Mo. epi. 65. inter. cartesi. p. 1.
(6) Yv. in Encycl. ar. ame des ebt.
(7) Co. Let. a. d. Racin. nota.
(8) Br. Phy. partic. n. 4446.
(9) Gen. c. 1. v. 26.

imaginem Dei creavit illum. De hac imagine ter in eodem capite, & alibi etiam inculcata, ut ubi dicitur, (1) *Deus hominem ad imaginem similitudinis suæ fecit*, interpretes ut Jo. Mariana, ajunt *simplicissime imago Dei in homine est anima incorporea & immortalis, nempe de genere Dei & angelorum*. Pererius (2) cum aliis quos citat, distinctius similitudinem animæ hominis cum Deo considerat primo in capacitate intellectus syncategorematice ut ajunt infinita, secundo in appetitu voluntatis, qui nullo bono præterquam infinito satiari queat, tertio in libertate voluntatis, quæ nequit determinari a quolibet finito bono, quarto tandem in quadam naturali cupiditate immortalitatis. Nec omittam hæc in eumdem locum præclara S. Bernardi verba (3), *vita Deus, vita & anima est: similis quidem, sed dispar. Porro similis quod vita, quod se ipsa vivens, quod non tantum vivens sed & vivificans, sicut & ille hæc omnia est. Dispar vero quantum a creante creata: dispar quod ut nisi creata ab illo, non esset, sic nisi ab ipso vivificata non viveret, non viveret dico spirituali vita; nam naturali quidem etiam quæ non spiritualiter vivit, immortaliter vivat necesse est.*

213. In veteri pariter Test. passim mortui dicuntur congregari vel colligi vel ire vel pergere ad populum suum, vel apponi vel jungi populis suis. Sic de Abrahamo dicitur (4) *congregatus est ad populum suum*, & de Moyse (5) *colligeris ad populum tuum*, & alibi (6) *Ibis & tu ad populum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron*, cui jam dixerat Dominus (7) *pergat ad populos suos*, & de Isacco dicitur (8) *appositus populo suo*, & iterum de Moyse (9) *Jungeris populis tuis*, quæ verba unanimiter interpretes notant testificari immortalitatem animæ nostræ, duosque in sempiternis regionibus distinctos populos proborum unum, & improborum alterum. Eadem revelatio extat in Job, in Proverbiis (10), in Ecclesiaste (11), in Isaia (12), in Osea (13) in primo & secundo Machabæorum, & in aliis etiam locis, quemadmodum ipsemet J. Christus significavit, dum in parabola epulonis dixit Abrahamum respondisse epuloni, qui petebat missionem Lazari in hunc mundum ad monendos ipsius fratres, ne & ipsi in infernum venirent (14) *habent Moysen & prophetas, audiant illos*, qui quam frequentes sint in commemorandis inferni pœnis sempiternis docebit Calmet (15) qui permultas illorum loquutiones collegit. Nonne aperte insipientes ii dicuntur, a quibus (16) *æstimata est afflictio exitus illorum* (hoc est mors justorum), *& quod a nobis*

N

(1) Sap c. 7. v. 23.
(2) Pe. in Genes. l. 4. de creat. ani.
(3) Be. in cant. ser. 81.
(4) Gen. c. 25.
(5) Num. c. 31. v. 1.
(6) Num. c. 27. v. 13.
(7) Num. c. 10.
(8) Gen. c. 35.
(9) Deu. c. 32.
(10) Pro. c. 14. v. 32.
(11) Eccle. c. 12. v.
(12) Is. c. 26. v. 19. c. 57. v. 1.
(13) Os. c. 13. v. 14.
(14) Luc. c. 16. v. 29.
(15) Ca. Dict. ar. infernus
(16) Sap. c. 3. v. 1.

bis est iter, exterminium. Atque cum audio hos appellari insipientes, jam video ipsammet divinam Scripturam supponere posse ab homine ratione naturali cognosci suammet animam esse immortalem, quod etiam Canus (1) notavit. Et quidem capite antecedenti has Scriptura protulit rationes per hæc verba, (2) *excæcavit illos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum, quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem*.

214. Quare prima ex rationibus in hoc Sapientiæ testimonio propositis consistit in divina providentia, quæ tam certa est etiam per philosophiam, quam certum est Deum existere, etsi arcana est ipsius dispositio circa hominum mortalem vitam, in qua persæpe aliquos malos videmus bonis abundare, & aliquos rursus bonos calamitatibus opprimi, quod proinde pertinet ad sacramenta Dei. Secunda consistit in præmio aut poena, quorum alterutrum homo naturæ rationalis videt exigi ab operationibus talis naturæ. Tertia est dissolutionem corporis humani non inferre animam ipsi coniunctam tunc evanescere, totumque hominem exterminari, *quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem*. Igitur si est inexterminabilis, utique aliquid ipsius & quidem potior pars anima superstes est, etiam postquam *cinis erit corpus nostrum*, eaque ex suamet natura immortalis est, non ex gratia, sicut erat ante peccatum corpus hominis, cui propterea sublata fuit immortalitas, quare dicitur *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum*, scilicet quia diabolus persuasit primis hominibus ut comederent de fructu cujusdam arboris, quem ipsis sub pœna non jam extinctionis, sed mortis (3) Deus creator vetuerat. Hinc inquit S. Augustinus (4) *constat inter christianos veraciter catholicam fidem tenentes corporis mortem merito inflictam esse peccati*.

215. Sed prosequamur observationes in vetus Test. Nonne passim describitur mors hominum tamquam eorumdem unio cum suis maioribus quos sunt imitati? Quid sibi vult David dicens, consideratio de improborum felicitate & bonorum calamitatibus in hac vita difficillima mihi est (5), *donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum*, sempiterna scilicet parata bonis præmia, & malis supplicia. Omitto alia ejusdem regii prophetæ loca (6), in quibus idem dogma immortalitatis animæ docet. Quid ejus filius Salomon per illa verba (7) *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illam*. Quinam sensus erat Jacob cum in luctu se fore profitebatur (8) donec ad locum

(1) Ca. Loc. for. l. 12. c. 13. pro. 2. in fine
(2) Sa. c. 5. v. 21.
(3) Gen. c. 2. v. 17.
(4) Au. de civi. l. 13. c. 15.
(5) Psal. 72. v. 15.
(6) Ps. 2. v. 6. & psa. 15. v. 9. & psa. 36. v. 15. & psa 41. v. 2.
(7) Eccle. c. 12. v. 1. & 6.
(8) Gen. c. 37.

eum filii sui Joseph, quem devoratum a bestia credidit, perveniret? Quænam erat mens Saulis, dum Samuelem jam olim a vivis separatum (1) *per mulierem habentem pythonem* suscitavit? qui eidem repente adstans annunciavit quæ ventura erant, ut in primo Regum, & in Ecclesiastico (2) narratur.

216. Quam aperte idem Ecclesiasticus aliam esse vitam pro hominibus, qui ex hac decedant significavit, dum dixit, (3) *Longe est testamentum*, hoc est lex divina, *a quibusdam*; *& interrogatio omnium in consummatione est*, hoc est in morte, in qua jam dixerat justos fore benedicendos, (4) *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur*. Quis non videt, quod ubi lex Moysis distincte promittit bona temporalia bene agentibus, & comminatur opposita mala male agentibus, non excludit bona & mala pro vita futura, sed de illis non meminit, tum quia non est legislatorum hujus terræ statuere pœnas & præmia nisi temporalia, tum quia lex dirigebatur ad hebræorum rempublicam, quæ sequebatur veram religionem venerantem Deum vindicem malorum & remuneratorem bonorum non tam in hac vita, quam in alia sempiterna. Quo supposito dogmate apud totam gentem certo, bona temporaria identidem promittebantur tamquam novum argumentum divinæ erga illam beneficentiæ singularis, quæ in ejus potestatem relinqueret felicitatem etiam præsentem. Quod Montesquieus (5) existimaverit a Moyse factam non fuisse clariorem mentionem de vita futura, quia timuit ne in morem gentilium Hebræi descenderent occidendi servos, amicos, & caros defunctorum, ut haberent quibus in alio mundo familiariter uterentur, mihi unice placet, quia exhibet argumentum de cognitione immortalitatis animæ nostræ apud ipsos barbaros antiquissimos. Eamdem rationem deinde, sed alias etiam jam relatas affert Bergierius (6).

217. Hæc dico cum Trevoltianis (7) contra auctorem libri *de mundo & anima & ejus immortalitate*, qui hanc opinionem ortam dicit a paucis ante æram christianam annis, quem deinde imitatus est, qui ab iisdem (8) impugnatur Jo. Martinus de Prades in suis alias (9) commemoratis thesibus a sacra Facultate Parisiensi proscriptis ann. 1752, præter alios, contra quos agunt Noghera (10) & Csapodius (11). Eadem dico etiam contra Voltairem, qui apud Nonnotem (12) excusat Epicurum, quod opinatus fuerit animam esse mortalem, quia Deus contrarium non revelavit, nisi annis post ipsum quingentis, quasi David multis sæculis & multo pluribus Job & Moyses non præcesserint Epicurum, qui floruit ante Christum non jam

(1) 1. Reg. c. 28.
(2) Eccli. c. 46. v. 23.
(3) Eccli. c. 16. v. 22.
(4) Eccli. c. 1. v. 13.
(5) Mo. Espr. des loix l. 24. c. 19.
(6) Be. Apolog. p. 4. ar. enfer.
(7) Tr. ann. 1751. ar. 91.
(8) Tr. ann. 1753. ar. 76.
(9) De mirac. edit. 3. n. 1389.
(10) No. rifl. 23. su la nat. uman.
(11) Cf. Reliq. reve. n. 25.
(12) No. Erreu. de Volt. t. 1. c. 9.

jam annis ut ipse ait quingentis, sed circiter tercentis, cum Ricciolius ostendat ipsum mortuum anno ante Christum 269 ætatis suæ 72 (1). In Dictionario philosophico ipsi Voltaire adscripto cum sæpius inculcetur hæc falsitas de immortalitate animæ nostræ nota solum post Christi adventum iterum impugnatur ab eodem Nonnote (2) & a Bergierio (3).

218. Ante istos Gulielmus Warburton libro quinto sui operis *de divina Moysis legatione* Anglice edito anno 1738 studiose contendens hebræorum nationi notum fuisse solum prope tempora sui excidii dogma præmiorum aut pœnarum, quæ homines manent in vita post hanc mortalem futura, consequenter negat in veteri Test. contineri revelationem de nostrarum animarum immortalitate. Quando hunc habuerint ducem, quos citavi, jam profligati simul cum illo fuerant ab anonymo, qui in hoc Warburtonum præclaro confutavit opusculo, *Examen propositionis Warburtoni &c.* quod anglice pariter prodiit ann. 1744 ab homine in theologia & sacrarum literarum studio certe diligenter versato, & in palestra philosophica exercitato, qui Warburtoni ratiocinia clare ostendit non esse nisi sophismata, ut loquar cum Bibliotheca Britanica in ejusdem epitoma (4), ex qua alia etiam veteris Test. testimonia pro hac revelatione innotescent.

219. Aeternæ nostræ vitæ revelatio passim renovatur in novo Test. apud Matthæum, Lucam, & Paulum in epistolis 1., & 2. ad Corinthios, & ad Philippenses c. 1. & apud Joannem in Apocalypsi, quæ loca collegit Valentia (5), & jam antea Canus (6), qui ipsorum aliqua magis conspicua a quorumdam objectionibus vindicavit, & in iis a Martino Peregrino productis testimoniis, quæ certos nos reddunt de immortalitate participanda ab ipsismet nostris corporibus, quæ ad novam vitam virtute divina reditura prædicuntur. Hoc argumentum pro nostra immortalitate, in quo fundatur damnatio propositionis contradictoriæ prolata in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 8., habendum est præ oculis, utpote statim diluens omnes, quas improbi promovere solent difficultates contra hoc dogma omnis honestatis fundamentum & præsidium, ut ipsimet increduli norunt, & fatentur præter marchionem d' Argens in gallico libro *philosophus boni sensus* adde *inimicus*, cujus est ea a Trevoltianis execrata propositio, (7) *Fides de immortalitate animæ non est quid essentiale ad characterem hominis honesti*, quam dicam tenere etiam Formeyum, & supponere ejusdem secum sententiæ fuisse quotquot alloquutus fuit in Acad. Scien. Berolinensi 5. Junii anni 1777, quandoquidem coram omnibus ausus fuit in rebus incertis immortalitatem animæ numerare, ut patet ex publicis etiam nunciis, qui integrum ipsius sermonem retulerunt, exceptis illis qui Florentiæ publicantur sub titulo *Notitiæ mundi*, in quibus tam insipiens propositio omissa est. A n.

(1) Ric. Chron. l. 3. c. 3. n. 16.
(2) No. Dict. ai Ame. n. 3.
(3) Be. Apol. c. 8. n. 3. & Refut. du dicti. ar. Ame.
(4) Bi. to. 23. ar. 10. par. 1.
(5) Va. in 1. p di. 6. punc. 3.
(6) Ca. Loc. the. l. 12. conc. 1.
(7) Tr. ann. 1758. ar. 104.

ARTICULUS II.

Argumenta pro immortalitate animæ hominum ex ea vi cognoscendi, quæ ipsis data est & non brutis.

220. PRæter revelationem alia habentur argumenta pro immortalitate animæ nostræ, quæ non permittunt de illa hominem cordatum dubitare, & multo minus eam negare, postquam etiam ea fuerit de spiritualibus brutorum animabus negata. Qui ex hac ratione negari eam posse etiam animis nostris sibi vel persuadeant vel conentur persuadere, soli sunt Epicurei, & ætatis nostræ increduli, qui vulgo spiritus fortes appellantur, sed Aristoteles stultos vocaret, quoniam ipsius est illud effatum (1) *Qui Deum non timeat, non fortis homo est sed stultus*, quod hic pariter habet locum, quoniam qui se post mortem credant nullos fore, fontem timoris Dei videntur sibi obstruxisse. Ex his argumentis passim multa apud philosophos omni exceptione majores occurrunt, in quibus illud est insigne desumptum a natura substantiæ spiritualis, cui naturalem esse immortalitatem agnoverunt jam & concluserunt Plato & Cicero ex dictis (n. 188.), ipsumque in bono lumine collocavit recentissime Thadæus Nogarola in commentario *de immortalitate naturali animæ*, quod italice protulit Venetiis anno 1781, cum latinum anno antecedenti, ut etiam referunt Ephemerides Liter. Rom. (2) promulgasset Veronæ sub nomine Castellani discipuli sui, qui de hac re publicam ibidem habuit disputationem.

221. Aliqua ex his exponam, prout secunda propositionis nostræ pars requirit, quæ Concilium Lateranense sub Leone X. satis aperte significavit se habere pro veris demonstrationibus non quidem mathematicis, quæ hic non habent locum, sed alterius generis, quandoquidem eos condemnavit, qui (3) *ausi sunt dicere de natura animæ rationalis, quod mortalis sit*, eosque qui *temere philosophantes, secundum philosophiam saltem verum id esse asseverent*. Atque ab iis incipio, quæ eruuntur ab ea, quæ data nobis est, vi cognoscendi. I. Sic arguo: Cum omnes animarum brutarum operationes limitatæ sint circa res sensibiles, quarum non tam cognitio quam appetitio indiget corpore, nil mirum si Deus noluerit ipsas dissoluto corpore amplius existere. At cum ab anima rationali conscii simus haberi aliud genus operationum, quod non indiget corpore, neque ejus sensibus, intellectiones scilicet & objectorum spiritualium contemplationes sine ulla limitatione, & quæ inde sequuntur diversi generis appetitiones ad vitam rationali homine dignam constanter ducendam opportunas & necessarias, jam non solum cessat ratio volendi

(1) Ar. Magn. moral. l. 1. c. 5.
(2) Ef. ann. 1781. n° 11.
(3) Lat. sess. 8.

di ipsius extinctionem ad dissolutionem corporis, sed aliquam videmus propter quam Deus velit eam esse immortalem.

222. II. Arguo cum Para (1), Trevoltianis (2), & Huberto Hayer (3). Sapientis est velle, ut quod perfecit, tamdiu existat, quamdiu potest satisfacere fini, ad quem destinavit: atqui finis creationis animæ humanæ est non tantum informare & dirigere corpus cui conjungitur, sed etiam cognoscere verum & amare bonum, cui potest satisfacere in æternum: ergo Deus animam hominis conservabit in æternum. Urgetur hoc argumentum, quia hujusmodi finis est præcipuus utpote nobilior & situs in intrinseca natura animæ rationalis, nec haustus a corpore, quod impotens cognoscendi nequit hanc vim tribuere animæ. Hæc ratio, quæ concludit immortalitatem animæ hominis ex præcipuo fine creationis, qui nunquam deficit, ducit nos ad inferendam etiam iteratam unionem animæ cum corpore, ut totus impleatur finis creationis hujus animæ. Promovetur hoc argumentum observando, quod cum tam in vero quam in bono detur infinitas, non poterit huic fini satisfacere anima quæ non sit immortalis, ut jam distinctius dicam.

223. III. Anima hominis capax est novæ in infinitum perfectionis tum in intellectu tum in voluntate, sive ut ajebat S. Augustinus (4) *facta est capax majestatis tuæ* o Deus *ut a te solo, & a nullo alio possit impleri*. Experientia enim novimus, quod (5) *non satiatur oculus visu, nec auris auditu*, & nullos omnino limites sentimus nobis constitutos esse in acquisitione virtutum intellectualium, quæ respondeat ejus capacitati cognoscendi verum, nec in acquisitione ullius boni, cujuscunque generis sive physici sive moralis, quæ ejusdem appetitui omnino satisfaciat. Nam quis unquam extitit, qui per ea quæ cognovit, didicit, & potitus est, dixerit se contentum cumulatissime. *Optimus*, inquit Cicero (6) *& gravissimus quisque confitetur se multa ignorare, & multa sibi etiam atque etiam esse discenda*: & scitum est illud,

Non est in mundo dives qui dicat abundo.

Nonne potitus jam erat multis regnis Alexander Magnus, attamen cum audiit referente Plutarcho (7) dari mundos juxta Anaxarchum innumerabiles, eorum inhians possessionem indoluit se unius, scilicet totius terræ dominium nondum obtinuisse. Itaque quo magis quis doctus aut dives aut sanctus evadit, eo majorem doctrinæ divitiarum ac sanctitatis campum ante se quodammodo positum videt, ad quem decurrendum ab iis, quæ jam novit, vel habet, quasi a totidem sibi applicatis stimulis urgeri se sentit, & dolet nullam sibi patere viam, per quam perveniat ad adeptionem quorumdam bonorum, quæ videt a se remota, & ad cognitio-

(1) Pa. Metaph. n. 248.
(2) Tr. ann. 1753. ar. 121.
(3) Ha. Spiritua. de l' ame vol. 3.
(4) Au. Sol. lo. c. 30.
(5) Eccle. c. 1. v. 8.
(6) Ci. Tusc. l. 2.
(7) Plu. de tranquillit.

gnitionem multarum rerum, quæ certo novit existere, & maxime vellet cognoscere, inter quas est ipsamet cognitio intima essentiæ sui & aliarum rerum.

224. Hoc argumentum eloquenter exornavit auctor operis, cujus titulus *Spectator* (1), quem aliqui tribuunt Richardo Steele, sed qui illum ex anglico gallicum fecit, conflatum dicit ex symbolis multorum, in quibus Eduardus Young numeratur a Tournerio in præfatione ad celebres *noctes* hujus poetæ mortui anno 1765 ætatis 81 ex anglicis gallice redditas, qui non erat omittendus, quia ipse pariter in nocte decima eo præter alia utitur. Sed ejusdem expositio prout legitur in Spectatore tam splendidis & tam gratis coloribus expressa fuit, ut Chaumeixius (2) ipsam in suum opus integram inseruerit. Ceterum eodem argumento alii passim jam usi fuerant, ut S. Bonaventura (3), Daniel Barto'us (4), qui maxime illud prædicat, Card. Sfortia Pallavicinus (5), Lessius (6), Ottavius Worst (7), Buffierius (8), Yvon (9), Valsecchius (10).

225. In hoc interea argumento apparet immensa distantia animæ nostræ ab illa brutorum quorumcunque, quæ intra breve tempus culmen perfectionis sibi attributæ attingunt. Nunquam enim decursu temporis magis perficiuntur: ergo data est animæ nostræ immortalitas, per quam huic suæ immensæ capacitati possit satisfacere. Frustra enim data esset hæc animæ indoles, si brevi cum corpore ea deberet extingui, quod dici nequit sine injuria Dei utpote omnium rerum auctoris sapientissimi. Idem argumentum videor mihi invenire etiam in verbis Catonis apud Ciceronem (11) *Sic mihi persuasi, sic sentio: cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria præteritorum, futurorumque prudentia, tot inventa, non posse eam naturam, quæ res eas sustineat, esse mortalem.*

ARTICULUS III.

Argumenta pro immortalitate animæ hominum ex hujus persuasione ipsis insita & non brutis.

226. I*Nhærere*, ut ait Cicero (12) *in mentibus nostris quasi sæculorum quoddam augurium futurorum, idque in maximis ingeniis, altissimisque animis & existere maxime & apparere facillime*, evidens est in lapidibus & inscriptionibus, in ædificiis & libris editis, omnisque generis monumentis, & in tota vivendi ratione, quam sapientiores & prudentiores sequuntur, solliciti ne vituperationem & odium posterorum incurrant, sed eorum

(1) Sp. to. 2. dis. 18.
(2) Ch. Prejeg. to. 8. se. 2. c. 2. §.1
(3) Bo. in 2. di 19. ar. 1. q 1.
(4) Ba. Ricr. del Sar. l. 2 c.8.
(5) Pa. de act. hum. l. 1 n. 19.
(6) Le. de immort. n. 10. & 21.
(7) Wo. Anastasis tr. 1. n. 15.
(8) Bu. Prem. veri. n. 463.
(9) Yv. in encycl. ar. ame.
(10) Va. Fond. d. reli. l. 1. c. 5. n.7.
(11) Ci. de Senec. c. 21.
(12) Ci. Tusc. l. n. 11.4. juxta Olius

eorum potius laudem & amorem acquirant. Duæ solum classes de posthumo honore sollicitæ non sunt, altera sanctorum, altera epicureorum. Sed cum primi non propter se illum contemnant, sed propter meritum virtutis in animi demissione sitæ in ordine ad præmium æternum, argumentum magis confirmant. Secundi autem, cum eo modo se gerant ex præsupposito interitu animæ cum corpore, jam profitentur se vel mendaces, vel societati hominum perniciosos: mendaces quidem, quia quod Cicero dixit augurium immortalitatis inhærens in mente hominum, alii ut Card. Hyacinthus Gerdil (1) vocant persuasionem: perniciosos autem generi humano, quia epicureismi consequentia est morum corruptela. (2)

Nam si tota mihi cum corpore vita peribit,
Ibo per impuros fervente libidine lucos,
Inficiabor habens aliquod sine teste propinqui
Depositum, tenues avidus spoliabo clientes,
Longævam perimam magico cantamine matrem.
Lex armata sedet, sed nescit crimen opertum,
Aut si res pateat, judex corrumpitur auro.

sic olim dicebat Prudentius.

227. Hoc interea augurium nunquam observatum aut deprehensum est in brutis. Quis enim in illis unquam vidit umbram aliquam de sollicitudine sæculorum futurorum? ergo etiamsi anima brutorum non sit immortalis, anima tamen hominis intelligitur talis fore ex hoc ipso immortalitatis augurio sibi quodammodo insito a suo creatore; (3) *non enim*, inquit Yvo Valois, *magis visus & auditus supponunt lumen & sonum, quam hoc augurium supponit animam corpori superstitem*. Idem Cicero, ubi inducit Catonem fusius exornantem hoc argumentum, hanc eidem tribuit conclusionem, (4) *nescio quomodo animus erigens se posteritatem semper ita prospicit, quasi cum excesserit de vita tum denique victurus sit. Quod quidem ni ita se haberet ut animi immortales essent, haud optimi cujusque animus maxime ad immortalitatis gloriam niteretur*.

228. Hinc ulterius cum Sfortia Pallavicino (5), & Para (6) arguitur. Si sinceri sumus, fatebimur hoc immortalitatis augurium commune omnibus hominibus conjunctum esse cum desiderio quidem, ut hæc immortalitas sit beata, sed etiam cum timore, ne sit misera, quem conscii sumus fundari in eo, quod persuasi simus ad vitam beatam requiri meritum bonarum operationum, a quibus deterremur plusquam frequenter a gravissimis incommodis, & evidentibus periculis subeundi plurima mala temporalia, & ipsam præsentis vitæ amissionem. Hanc assumptionem confirmat Plato, qui cum dixerit (7) *bonam spem esse ut post mortem quis feli-*

(1) Ge. Immater. de l'ame. dis. pre.
(2) Pr. l. 1.
(3) Va. Verit. fundam. entr. 5.
(4) Cic. de senec. c. 23.
(5) Pa. in 1. 2. di. 2. ar. 1. n. 4. 5. & 7.
(6) Pa. Metaph. n. 500. §. 1.
(7) Pl. Epinomis sub init.

felicitatem consequatur ; *cujus desiderio accensus*, *optime pro viribus egit vitam*, *atque exegit*, subjungit statim, *nec inauditum aliquid*, *novumque adduco*, *sed quod barbari & græci modo quodam cognoscimus*. Confirmat etiam Cicero, qui apud Macrobium (1) inducit Scipionem excitantem Lelium ad bene agendum, ut locum obtineat in cælo sedem eorum, qui præclare vita in terris functi fuerint: ergo animarum nostrarum immortalitas certa est, etsi ejus qualitas incerta sit. Nam aliter Deus, a quo auctore sunt affectiones omnibus communes nos illuderet, & crudeliter anxios redderet per totam vitam inani spe vel timore vitæ perpetuo beatæ vel miseræ pro diversis in vita mortali meritis.

229. Quod etsi a priori ex veracitate & sapientia Dei intelligitur fieri non posse, idem etiam a simili concludere possumus, quippe quæcunque sunt in nobis a Deo indita cum ordine ad aliquem terminum, cognoscimus habere etiam reapse hunc terminum ad quem diriguntur. Nonne quia famem & sitim in nobis voluit esse, dedit etiam horum terminum cibum & potum, & quia voluit ut possemus moveri & operari & videre, dedit etiam pedes manus oculos, quæ organa manifestum ordinem habent ad eas operationes. Hoc argumentum non placuit Scoto apud Pontanum (2), sed placuit S. Augustino, qui ait (3) *omnes homines naturali instinctu immortales & beati esse non vellemus*, *nisi esse possemus*. Idem ita placuit S. Thomæ, ut eo crederet non solum concludi immortalitatem animæ, sed illam participandam corpori, (4) *Constat*, sic ille *quod homo naturaliter desiderat salutem sui ipsius : anima autem cum sit pars hominis*, *non est totus homo*, *& anima mea non est ego*. *Unde licet anima consequatur salutem in alia vita*, *non tamen ego*, *vel quilibet homo*, *& propterea eum homo naturaliter desideret salutem etiam corporis*, *frustraretur naturale desiderium*.

230. I. Objicitur. Anima timet mortem, & horret: ergo non habet hoc immortalitatis augurium. *Resp. dist. ans.* Anima timet & horret mortem corporis sibi conjuncti, *conc. ans*, timet & horret mortem sui, *subdist*, mortem metaphorice sumptam pro damnatione æterna, *conc. ans*, mortem proprie sive physice sumptam pro cessatione ab existendo, *nego ans & conseqm.*

231. II. Objicitur. Ex eo quod homo naturaliter desideret cibum & potum, & alia peritura, & ipsam quandoque mortem, si gravi gemat oppressus calamitate, non infertur quod anima hominis sit mortalis: ergo neque ex eo, quod homo naturaliter desideret immortalitatem, infertur quod anima hominis sit immortalis.

Resp. I. *omitto totum*. Argumentum enim propositum procedit præcipue ex persuasione immortalitatis, seu intimo augurio, quod homo velit nolit in se sentit, non ex desiderio immortalitatis, quod scelesti

O quia

(1) Ma. somn. Scip. l. 1. c. 4.
(2) Pon. de immor. l. 2. c. 1.
(3) Au. l. 4. c. Iulian. c. 3.
(4) Th. in c. 15. ep. ad Corin. l. 2.

quia præsentiunt eam sibi fore miseram non habent, immo habent oppositum.

Resp. II. *Transeat ans, & nego conseq.* Dispar enim est utriusque ratio. Dato siquidem in nobis desiderio naturali cibi & potus nullum occurrit argumentum, vi cujus dicere debeamus amimas nostras esse mortales: at dato in nobis naturali desiderio sive augurio immortalitatis, illud statim occurrit, quod Deus nos illuderet, si animæ nostræ non essent reapse immortales. Præterea desiderium cibi & potus non dicit ordinem proprie ad animam, sed ad corpus, ejusque vitam: desiderium autem immortalitatis habet ipsam animam pro suo objecto præcipuo, immo unico semota revelatione de resurrectione corporum.

232. *Resp.* III. Distinguo quod primum dicitur in antecedenti, non infertur animam hominis esse mortalem ex eo quod desideret peritura, hoc est desideret quæ in se sunt peritura, concedo, hoc est desideret peritura, prout peritura sunt, nego suppositum, esse scilicet in homine hujusmodi naturale desiderium. Et distinguo etiam alterum, quod in eodem antecedenti dicitur, non infertur animam hominis esse mortalem ex eo, quod homo naturaliter desideret mortem, quatenus est liberatio a suis calamitatibus, conc. quatenus est destructio animæ, nego iterum suppositum quod hujusmodi detur naturale desiderium, & nego tandem consequentiam.

Articulus IV.

Argumenta pro immortalitate animæ hominum ex conscientia illis data & non brutis de bonis vel malis actionibus.

233. PRO nostra immortalitate est argumentum, nobis proprium & non brutis; quod ultimum fecit Plato in suo celebri Phædone, esse scilicet nos conscios talem nobis datum naturam, quæ subjacet legi cuidam, quam dicimus naturalem, quæ præcipit quicquid est conveniens ipsimet naturæ, quatenus rationalis est, & prohibet quicquid eidem non est conveniens, idque ut proprium est legibus promittendo præmia iis, qui eidem obtemperent, & rursus pœnas iis qui ab ipsa aberrent. Quod de hac lege omnes conscii simus dubitare non possumus; Nemo enim est, qui non laudet & amet, quos experitur fideles in promissis, veraces, gratos, mites, beneficos, & rursus non execretur & abhorreat proditores, mendaces, homicidas, injustos, maleficos, ut nequeat hujusmodi affectiones suspendere & multo minus ad oppositas se determinare. Hinc conscii etiam sumus nos naturaliter impelli ad observantiam hujus legis, ut præmium bonis promissum consequamur, & pœnam malis intentatam effugiamus. Atqui frequenter accidit bonos in hac vita nullo præmio decorari, & ad summum sub protectione legum vitam vivere, quin ab

aliis

aliis gravi molestia afficiantur, atque dum sibi dicunt (1) *non furtum feci, non hominem occidi*, opus esse ut in Horatii responso conquiescant, *habes pretium, loris non ureris, non pasces in cruce corvos*. Rursus videmus refractarios sive malos nulla pœna aflici saltem apparenti. Quin immo sæpe videmus bonos in hac vita cruciatibus, & malos deliciis abundare. Est igitur alia necessario manens nos vita post hanc terrenam, cui auctor omnis ordinis tam physici quam moralis reservat animas rationales ad recipiendum, quod in hac vita sibi promeruerunt vel præmium vel supplicium. Obvium est hoc ratiocinium quod Plato non semel fuse exornat. Ejus sunt hæc, (2) omnes homines *sunt judicandi post obitum*, & pro suis bonis vel malis in vita operationibus remunerandi vel puniendi. Quare concludit, equidem de his persuasus *conabor quam maxime potero bonus vivere atque mori*.

234. Hoc argumentum Melchior Canus (3) egregie exposuit, & iterum iterumque Lessius (4) robuste exornavit, & noviter Leibnitius (5), Para (6), Martinus Huber (7), & cum eo Trevoltiani (8), & laudatus supra Nogarola. Idem audiatur ab egregio Poeta Benedicto dell' Uva jam olim sic expressum (9).

E se egli vive Dio, se egli e santo,
Che ne questo ne quel può già negarsi,
Alla vita, che qui fallace e tanto,
Altra vita più certa e forza darsi,
Ove condegno al rio castigo e pianto,
E premio e gioja al buon possa donarsi.
Poiche qui spesso il vizio al ciel sì inalza,
E virtù 'l fianco trae povera e scalza.

235. Condillacus nuper (10) eodem usus fuit, ut concluderet Deum propterea conservare animam hominis post suam a corpore separationem, & ex contraria ratione destruere illam brutorum. Hinc ulterius theologi trahunt confirmationem, & quasi demonstrationem alterius dogmatis catholici de resurrectione corporum, (11) *ut ea simul præmientur, vel puniantur cum animabus, sicut communicaverunt merito vel peccato*, inquit ex S. Dionysio S. Thomas, & consonat Damascenus dicens (12), *Deus justus est: igitur quia anima neque subsistebat separata, neque virtutem neque vitium transegit sine corpore, juste am bo simul ad retributionem sunt fabricata*.

236. Urgeo hanc argumentationem observando homines præclare benefa-

(1) Hor. epi. l. 1. ep. 16.
(2) Pl. in Gorgia sub fin.
(3) Ca. Loc. the. l. 12. c. 15. pro. 4.
(4) Le. de immort. n. 37.
(5) Lei. epis. ad. div. vol. 5. ep. ad Molanum,
(6) Pa. Metaph. n. 500. §. 1.
(7) Hu. Essai. sur l'hist. du droit. vol. 1.
(8) Tr. ann 1759 ar. 40.
(9) Vua. il pensier della morte
(10) Co. des animaux. p. 2.
(11) Th. 3. p. q. 56. ar. 1.
(12) Da. de Fid. l. 4. c. 28.

nefacta remunerari collatis honoribus & divitiis, adeoque præmiis, quæ non solum animam, sed etiam corpus afficiant, & rursus punire malefacta carcere, exilio, extremo etiam supplicio, quæ sunt pœna animæ pariter & corporis: ergo justitia Dei, quæ caussa effectrix est & exemplar justitiæ hominum, præmia bonis & pœnas malis dabit, quæ non solum ipsorum animam sed etiam corpus afficiant. Atqui a Deo certe non videmus retribui hic hujusmodi pro meritis condigna præmia aut supplicia, quæ corpus & animam sive totum hominem afficiant: ergo olim retribuet, omnes mortuos ad vitam revocando. Utinam hoc argumentum diligentius expendissent Cleombrotus Ambraciota, & Cato Uticensis, dum Phædonem Platonis legerunt, credo equidem nunquam tam intempestivum immortalis vitæ desiderium fuisse suscepturos, ut sibi violentas manus inferrent: Intelligere enim poterant occisionem sui non esse facinus laude & præmio dignum, sed ignominia & pœna, utpote scelus contra jus naturæ patratum, ut præter multos alibi (1) citatos nuper demonstravit Jo. Baptista Lascaris Guarini in suis *Juris naturæ & gentium principiis*, quæ cum plausu sapientum Romæ publicavit anno 1778, & ipsemet Plato ceteroquin ibidem docuerat, qui hominem dixit esse in hoc mundo tamquam in quodam inclusum carcere, ex quo nefas est sine domini voluntate exire.

237. I. Objicitur. Malos bona, & bonos mala habere in hac vita, stare potest cum justitia & bonitate divina, etiamsi nulla alia vita nobis post hanc mortalem sit reservata immortalis: ergo hoc argumentum nullum est, vel saltem inquit Carolus Bonnet (2) non est apodicticum. Probatur ans, tum quia justitia & bonitas divina alia reipsa sunt ab illis, quas nos concipimus utpote quæ relationem habent ad totum universitatis rerum systema, quod a nobis non comprehenditur, & potest in se continere, quæ repugnent cum duratione hominum sempiterna: tum quia eadem justitia & bonitas stant cum eo, quod sinat pecora vitam in laboribus ducere, & mortem pro nostro libito subire sine ulla spe futuræ felicitatis.

Resp. Cum Clarke (3) *nego ans*, cujus primam probationem, *disting.* Justitia & bonitas divina alia sunt ac nos concipimus, quantum ad attributa propria harum perfectionum, prout sunt in Deo, *concedo*: quantum ad earum attributa generica, *nego*. Qui in his etiam dicat differre justitiam & bonitatem Dei, ille fateatur necesse est, nihil se intelligere aut significare, dum dicit Deum esse justum ac bonum, & frustra in sacra Scriptura tam sæpe proponi nobis has divinas perfectiones nominatim ut eas quam possumus imitemur. Quod pertinet ad secundam probationem ostendam infra, quare nulla nec injustitia nec crudelitas sit, subjecisse pecora laboribus & morti sine ulla spe felicitatis ullius futuræ.

238. II. Obji-

(1) de malo n. 61 edit. 2.
(2) Bo. Ricer. filos. c. 2. sua fin.
(3) Cl. A. disc. of relig. Introd.

238. II. Objicitur. Virtus habet secum suum præmium in delectatione ineffabili, quæ est in bene operando, & vitium suam pœnam in contraria tristitia. (1) Sicut sol inquit Eduardus Young, dat sibi suum splendorem, ita virtus dat sibi felicitatem: ergo falsum est aliquando bonos in hac vita esse sine præmio, & malos sine pœna.

Resp. dist. ans. Virtus habet aliquod præmium sed sibi impar in ea delectatione, & vitium aliquam pœnam, sed sibi pariter imparem in contraria tristitia, supposita persuasione vitæ futuræ, *conc. ans*, secus *nego ans & conseqm.* Imprimis igitur quod pertinet ad delectationem ex conscientia recte factorum ea fundatur in persuasione justitiæ Dei, & immortalitatis animæ. Tolle hanc persuasionem, evanescet delectatio in recte factis, siqua forte in ea etiam hypothesi existant. Credibile enim est hæc nulla jam fore. Nam actus pietatis religionis justitiæ caritatis, virtutum denique omnium ab ea persuasione tamquam a necessaria conditione dependent. Hoc vidit Bayle, quando ad se rediens ab insania, per quam dixit (2) posse cum ipso atheismo conjungi legum observantiam & virtutes sociales, professus est (3) sublata spe futurorum bonorum in vita immortali, virtutem & innocentiam jam esse in numero eorum, de quibus dicas cum Salomone *Vanitas vanitatum*.

239. Testis est Spondanus, Pomponatium de quo inferius dicam (4) *animas post corporis mortem interituras ex sententia Aristotelis probare conatum juventutem valde corrupisse*, quamvis profiteretur se *philosophice loqui, sed aliter cum christianus esset sentire*, quod confirmat Paulus Jovius Pomponatii discipulus (5). Idem autem plane demonstrant, quotquot posthabita omni ratione & auctoritate mortalitatem animæ credentes nullum facinus recusarunt committere, quod cum probabili argumento de impunitate ex parte magistratuum sibi offerretur patrandum & cum aliquod tandem incaute peregerint, propter quod comprehensi ad mortem damnarentur, sententiam audierunt cum ea solum perturbatione, quam in unoquoque excitat morbus certam brevi inferens mortem, quippe cum jam præviderint scelerosam vitam a se electam subiacere huic non communi mortis seu juxta illos perfectæ extinctionis periculo per manus carnificis, hoc statuerant contemnendum.

240. Sed his omissis assumptum propositum mihi videntur demonstrare ea Apostoli verba (6), *si resurrectio mortuorum non est, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides nostra*, & infra, *si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*. Christiana enim vita plena est incommodis. Quin immo non solum in ea hypothesi, recte facta amplius non existent, sed aliqua saltem

(1) You. Nuit. 1.
(2) Ba sur la comete
(3) Ba. Dic. ar. Brutus. remar. F. & ... sadducces. remar. E.
(4) Sp. Cont. annal. Bar. ann. 1513.
(5) Jov. Elogi.
(6) 1. Cori. c. 15. v. 13.

tem quæ in his numerabantur, ut vitam pro patria, & pro aris profundere in bello vel generali, quale est gentis contra gentem, vel particulari, quale juxta S. Thomam (1) sustinuerunt sancti martyres a tyrannis, & boni omnes a pravis cupiditatibus, ad speciem stulte factorum pertinebunt.

241. Deinde qui postquam vitam amore virtutis traduxerunt usque ad mortem in fame frigore nuditate carceribus cruciatibus, ut constat ex Sacra Scriptura de multis Veteris testamenti prophetis, de Sancto J. Christi præcursore, de Sanctis Apostolis, & ex historia ecclesiastica de innumerabili christianorum multitudine, congruum ne præmium dicendi sunt consequuti ex delectatione quæ sit in ipso virtutis exercitio? Tandem hæc delectatio, nisi intercedat miraculum, nunquam impedit dolorem & gemitus, adeoque apertam confessionem calamitatis ex boris operibus derivatæ. Quare bene ait contra istos Canus (2) *valde restrictum Deum facere, qui suis id solum in mercedis loco numeret, quod animo æquo imo vero etiam gaudenti ac libenti servierunt. O præmium singulare, quod erigit spem futuri cujusque boni, quæ sola hominem in miseriis consolatur.*

242. Quod vero pertinet ad tristitiam vitiorum comitem, imprimis cum sæpe mors occupet latrones & sceleratos in ipso suorum facinorum exercitio (3), *ubi* inquit Vitus Pichler, *isti actus sua habent supplicia? utique animam mortuam remorsus conscientiæ inquietudo aut infamia non affligit.* Præterea si inquiramus quænam sit hujus tristitiæ origo, invenimus hanc non nasci ex metu malorum hujus vitæ; Nam quæ a Deo infligi possunt, timeant ne mali & multo magis increduli, qui hæc sæpe vident bonis contingere, sibi vero & sibi similibus contraria bona? Quæ autem ab hominibus & magistratibus, nulli timere possunt pro sceleribus clam patratis aut excogitatis. Restat igitur ut hujusmodi tristitiæ origo, quæ utique est omnis sceleris comes, sit a metu malorum, quæ in alia vita scelestos manere ipsamet rationalis natura indesinenter inculcat, cujus communis persuasionis testimonium sunt, quæ de tribunali apud Inferos constituto commemorant poetæ & historici tam græci quam romani, ut observat Tertullianus (4), quibus ægyptios addit Diodorus (5), indorum brachmanes Strabo (6) omnes demum gentes Sextus Empiricus. Quare per hanc objectionem e Stoicorum schola haustam, quam Scotus apud Canum (7) & Pomponatius apud Pontanum (8) promoverunt, argumentum pro nostra animæ immortalitate desumptum ab ingenito ejusdem augurio restituitur & confirmatur.

243. III. Obji-

(1) Th. 2. 2. q. 123. ar. 7.
(2) Ca Loc. the. l. 12. c. 15.
(3) Pi. The. polem. p. 1. contr. 1. a. 3. n. 5.
(4) Te. Apolog. c. 47.
(5) Di. l. 1.
(6) St. l. 15.
(7) Ca. Loc. the. l. 12. c. 15.
(8) Po. de immort. l. 3. c. 3.

243. III. Objicitur. Ad præmium pro bonis actibus, & pœnam pro malis satis est animas hominum aliquandiu existere post separationem suam a corpore: ergo hinc non infertur animæ rationalis immortalitatem.

Resp. omitto ans, & dist. conseqs. Hinc non infertur immediate immortalitas animæ rationalis, *omitto* iterum *conseqm*, non infertur mediate *nego conseqm*. Dato quod ex allata præmii aut pœnæ ratione inferatur animas hominum existere separatas a corpore, jam infertur existere post mortem corporis ex defectu caussæ tum intrinsecæ tum extrinsecæ, quæ illas destruat, & exercere vim cognoscendi & appetendi ipsis essentialem. Hoc autem posito intercedit jam divina revelatio, quæ certiores nos facit eas in sempiternum permansuras in statu præmii vel poenæ, quem sibi in hac vita promeruerint. Antecedens omissum fuit non concessum, quia si loco persuasionis de immortalitate animæ ponatur illa de ipsius tandem post aliquod tempus destructione seu evaporatione, nescio an ulla amplius virtus exerceretur, certe quidem longe minor esset circa illam sollicitudo.

ARTICULUS V.

Argumentum pro immortalitate hominum ex communi consensu.

244. OMnes omnium locorum & temporum gentes admiserunt animas hominum esse immortales: ergo sunt. Consequentia est legitima; Nam inter axiomata habentur hæc effata, Vox populi, vox Dei, & Quod omnibus videtur verum est. Antecedens autem probatur (1). *Obtinuit jam*, scribebat Macrobius, *de immortalitate animæ sententia*, & ante ipsum Seneca dixit haberi circa illam (2) *consensum hominum*, qui in vulgo ipso paganorum Latinorum apparet, quod mortuorum animas appellabat manes a verbo maneo post dissolutionem corporum juxta etymologiam, quæ placuit Salmeroni (3). Hunc consensum Cicero dixit esse (4) *nationum omnium*, quem proinde bene appellavit modo *legem*, modo *vocem naturæ*. Neque ulla in his est hyperboles, cum ita sentire Banierius apud Storchenaum (5) dicit in Asia Sinenses, Japones, incolas insulæ Formosæ, Peguanos, Siamenses, Aracanos, Cochinchinenses: in Africa Socotoranos & Guineenses: in America Brasilios, Mexicanos, Caraibas, Canadenses, & de barbaris nationibus Californiæ idem testatur apud Laurentium Hervas (6) Joannes Diez unus ex iis, qui in ea Americæ boreali regione fuit christianæ religionis promulgator donec licuit, & de illis pariter bar-

(1) Ma. in somn. scipi. l. 1. c. 14.
(2) Se. Epi. 117.
(3) Sa. de resurr. tr. 32.
(4) Ci. Tusc. l. 1. n. 35.
(5) St. Psych. n. 248. Schol.
(6) He. Idea dell' univ. c. 12. §. 4.

barbaris circa magnum Orinoci flumen habitantibus idem refert Phil. Salvator Gilius (1), qui ibidem fuit multos annos Evangelii prædicator: & de aliis nominatim gentibus omnium temporum confirmat Jo. Vincentius Patuzzi (2).

245. Soli Epicurei natura se humana conantur spoliare, & in gregem transformare, qui huic consensui non solum non accedunt, sed etiam resistunt, & opponuntur. Ex horum secta quis dubitet fuisse, quos S. Io. Damascenus græco nomine vocat Thnetopsychitas, quia circa annum Christi 630. (3) *hominum animos pecudum animis similes existimarunt, atque eos una cum corporibus interire dixerunt*, & quotquot pro materialismo impudenter perorarunt alibi (4) nominati & Henricus Dodwellus, qui anno 1706. contendit libro in vulgus emisso suadere animas nostras esse natura sua mortales, quem deinde juxta bibliothecam britannicam (5) imitatus est Collinsius plura pro eodem errore scribens, donec Clarkii tandem impugnationibus oppressus obmutuit. Horum in hac re opusculorum epitoma aliqua extat in tomo 26. selectæ Clerici bibliothecæ.

246. Quando Cicero dixit (6), *quod litteris extet, Pherecides Syrus primum dixit animas hominum esse sempiternas*, quem primatum Laertius (7) tribuit Thaleti Milesio, hoc in utroque intelligendum est de literis philosophicis, quæ contendunt id quod proponunt adductis in medium argumentis evincere, non de poeticis & historicis, quorum finis est legentes non tam persuadere quam oblectare & erudire. Certe ibi Cicero expresse loquitur de disputatoribus circa animi naturam, & compertum est ut loquar cum S. Augustino (8) *Pythagoram hujus disputationis novitate*, quam audiit a Phærecide, *permotum ex athleta in philosophum fuisse conversum*. Ceterum immortalitatem animæ observante Noghera (9) ante Phærecidem, Hesiodus & Homerus affirmarunt, & ante hos Musæus & Orpheus apud Platonem (10). Quin Silenus apud Plutarchum sententiam de immortalitate animæ dicit (11) *ita vetustam esse, ut ejus & initium & auctor porsus ignoretur*, a qua Yvon temere putat discessisse aliquos insignes in antiquitate viros, ut suadet citatus Noghera.

247. Dices. Consensus hominum in aliquid tamquam verum non probat illud esse verum; Nam multa quæ persequitur Bayles apud Trevoltianos (12) habentur jam ut certo falsa, quæ olim communiter ut vera habebantur: ergo argumentum pro immortalitate animæ nostræ ex consensu hominum nullum est. *Resp.* argumentum in hac re non desumitur ex cen-

(1) Gi. Sto. Amer. to. 3. l. 2. c. 3.
(2) Pa. Impior. stat. l. 1. c. 3.
(3) Da. de hæres.
(4) De Ideis n. 114. edi. 2.
(5) Bi. to. 3. p. 2. ar. 8.
(6) Ci. Tusc. l. 1. n. 38.
(7) La. Vit. phil.
(8) Au. epi. ad Volusian. olim. 3.
(9) No. Rid. 12. su la nat. uma.
(10) Pla. Memn.
(11) Pl. Consol. ad Apollonium
(12) Tr. ann. 1705. ar. 87.

consensu quocunque sive alicujus loci & temporis, sed ex consensu universali & perpetuo, qui non invenitur in nullo ex iis, quæ ex Bayle objiciantur.

248. Abstinui hic ab argumento pro immortalitate animæ nostræ deductum ex ejus spiritualitate, quia hoc illam concludit solum ex parte suæ naturæ, quæ propter suam simplicitatem remota est ab omni dissolutione, non vero ex parte etiam sui creatoris, qui profecto potest eam in nihilum redigere. Quare bene Chaumeixius rejecit Yvonem, ubi affirmavit spiritualitatem animæ esse præcipuum argumentum pro ejus immortalitate, eumque acriter reprehendit (1) tamquam prævaricatorem, propterea quod observat hoc ipsum argumentum paulo infra ab eodem elevari, & nullius roboris censeri. At hoc omisso concludam ex allatis rationibus patere nullum esse periculum negandi immortalitatem animæ rationalis, quoties detur animas brutorum esse spirituales, & non esse immortales, quod aliqui juxta dicta sub initium hujus propositionis objecerunt.

ARTICULUS VI.

Objectiones contra argumentum pro immortalitate animæ rationalis ex revelatione.

249. I. Objicitur. Scriptum est, (2) *Unus interitus est hominum & jumentorum, & æqua utriusque conditio. Sicuti moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumentorum amplius.* Igitur negata animæ brutorum immortalitate neganda juxta Ecclesiastem est etiam animæ hominum. Hanc objectionem ex animo protulit Simon Porcius apud Hier. Pontanum (3), eamdemque promovit apud Episcopum Le Franc (4) incredulus, qui librum Ecclesiastes ceteroqui calumniatus est tamquam erroribus plenum. Nunquid Plinius senior ex hoc Scripturæ loco perlecto desumpsit irrisionem eorum, qui se immortales credebant futuros per hæc verba (5) *Vanitas in mortis quoque tempore vitam sibi mentitur . . . ceu vero ullo modo spirandi ratio homini a ceteris animalibus distet, aut non diuturniora in vita multa reperiantur, quibus nemo similem divinat immortalitatem.*

250. *Resp. conc. ant, & nego conseqm.* Nam si Ecclesiastes ibi narrat cogitata aut dicta ab impiis & infidelibus, ut censet citatus Pontanus, jam aliunde ipsius mens in hac re colligi debet: eam autem omnino oppositam esse incredulis, hæc declarant, (6) *Homo meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguent præteri-*

P

(1) Ch. Prejug. l. 2. se. 1. c. 4.
(2) Eccle. c. 3. v. 19.
(3) Po. de immort. l. 4. c. 7. sub init.
(4) Fr. Preten. phil. carac. 1.
(5) Pl. Hist. l. 7. c. 55.
(6) Eccle. c. 11. v. 8.

terita. Scito quod pro omnibus adducet te Deus in judicium. Revertatur (1) *pulvis ad terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Sin autem Ecclesiastes ea ex mente sua dicit, ut Emanuel Sa (2), & citatus Le Franc tenent, observemus quidnam dicat, antequam quicquam concludamus. Dicit similes esse homines & jumenta, quantum ad ea quæ conspicua sunt, mortem & respirationem, quin excludat ullam ex differentiis, quæ in ipsis partim evidenter intercedunt, partim facile cogitando cognoscuntur.

251. Siquis urgeat in objectis ex mente sua ab Ecclesiaste prolatis non apparere limitationem similitudinis hominum cum jumentis quantum ad mortem corporis & respirationem quoniam concludit, *nihil habet homo jumento amplius*, imprimis dico hoc ipsum referri ad ea, quæ perspicua sunt: deinde adverto eos qui absurdum non credunt animas etiam brutorum esse immortales posse hoc testimonio sine illa limitatione intellecto pro sua opinione adhibere. Nullum igitur hic Scripturæ locus quocunque modo accipiatur, suffragium præbet adversariis.

252. II. Objicitur. Animæ post mortem ad nos non redeunt, nec de suo statu unquam certiores nos reddunt, ut ex ipsa Scriptura habemus, (3) *Non est qui agnitus sit reversus ab inferis*: (4) *non est reversio finis nostri, & nemo revertitur*: Propter mortem proximi (5) *ne dederis tristitiæ cor tuum; non enim est conversio, & huic nihil proderis*, ubi conversio idem est ac reversio, ut ex græca versione clarius colligitur: (6) *Qui descenderit ad inferos, non ascendet*: (7) *Spiritus vadens & non rediens*: ergo intereunt animæ simul cum corpore.

253. *Resp.* I. Antecedens, quatenus universalis propositio, nego cum S. Augustino, qui ex Samuelis jam mortui apparitione, conclusit ejus falsitatem, (8) *Mitti*, inquit *ad vivos aliquos ex mortuis divina Scriptura testatur; Nam Samuel propheta defunctus vivo Sauli futura prædixit*. Et Onias qui dum viveret, summus fuerat sacerdos, conspiciendum se præbuit Judæ Machabæo (9) tamquam pro judæis orantem, eidemque deinde apparuit etiam Jeremias propheta, ambo ipsum ad pugnam excitantes cum promissione victoriæ. Habemus etiam quod multi Sancti (10) *exeuntes de monumentis post resurrectionem Jesus apparuerunt multis*. Nego iterum propter testatissimas nec infrequentes historias de mortuis, qui vivos compellarunt, quarum aliquas ex veteribus philosophis Platone Cicerone & Plinio juniore commemorans Pontanus dicit (11) *impudentis & vesani esse*, omnes negare. Quæ interea pro antecedenti ex ipsis sacris.

(1) Eccle. c. 12. v. 7.
(2) Sa. Not. in Scrip. hic
(3) Sap. c. 2. v. 1.
(4) Ibid. v. 5.
(5) Eccli. c. 38. v. 21. & 22.
(6) Job. c. 7.
(7) Psa. 77. v. 39.
(8) Au. de cur. pro mort. c. 15.
(9) Ma. c. 15. v. 12.
(10) Matt. c. 27 v. 53
(11) Pon. de immort. l. 6. c. 3.

cris Literis allata sunt, non obstant; quia primum & secundum testimonium referunt incredulorum dicta non approbant, nisi forte in sensu tertii & quarti, quæ loquuntur de eo, quod secundum ordinem naturæ contingit. Quinti sensus vel idem est cum illo tertii, vel significat spiritum hominis facile in malum ruere, non vero ad bonum reverti.

254. *Resp.* II. Cum Card. Pallavicino (1) *transeat ans & nego conseqm.*, utpote prorsus illegitimam. Legitima enim consequentia est hæc disjunctiva, ergo vel animæ post mortem non supersunt, vel sunt suæ caussæ, cur ad nos post mortem non accedant, cujus sola secunda pars est vera, Atque hæ caussæ sunt duæ saltem satis obviæ & manifestæ. Prima quia immortalitas animæ in statu vel beato vel misero, etsi apud philosophos est aut potest esse objectum scientiæ, apud vulgus tamen quod nescit quid sit scire, non est nisi objectum fidei. Altera est, quia gubernationi hujus terræ minus congruebat, animas separatas habere naturalem potestatem movendi pro libito corpora, quo solum modo possent se nobis patefacere, quia tunc cessaret omnis nostra industria, & solum relictum nobis esset earum favorem nobis conciliari, quæ solæ possent nobis favere aut nocere: ex quo universa respublica esset magnæ perturbationi obnoxia, & in ipsis animis fieri possent discordiæ & pugnæ iis similes, quas in suis diis ethnici confinxerunt.

255. III. Objicitur. Apostolus dicit (2) *solus Deus habet immortalitatem.* At respondetur ex quadruplici sensu, in quo immortalitatis nomen ex dictis (n. 185.) sumptum invenitur, unum esse, qui significat carentiam principii finis & mutabilitatis, quem hoc loco usurpat Apostolus, & in quo profecto soli Deo convenit immortalitas, quippe solus est ens a se absolute necessarium & nulli mutationi subjectum: quod clare expresserunt SS. Justinus, Hieronymus (3), Damascenus (4), & alii apud Trevoltianos (5) & Pererium (6) dicentes animam rationalem & ipsos angelos non esse immortales, nisi per Dei gratiam, assumentes gratiæ nomen pro beneficio a libera voluntate Dei spirituum creatoris & conservatoris facto, non pro dono eorum naturæ superaddito, quod solet peculiariter a theologis gratia appellari. S. etiam Bernardus, apud Cornelium a Lapide in objectum locum dixit, *omne quod mutatur, dum de uno ad aliud transit esse, quodammodo necesse est moriatur, ut esse incipiat quod non est.*



(1) Pa. in 1. 2. di. 2. q. 2. ar. 3. n. 8.
(2) Ad Timo. ep. 1. c. 6.
(3) Hi. l. 3. co. co. Pelagi.
(4) Da. de Fide. c. 3. & 17.
(5) Tr. ann. 1751 ar. 71.
(6) Per in Gen. l. 4. de Creat. ani. q. 2.

ARTICULUS VII.

Obiectiones contra argumentum pro immortalitate animae rationalis ex ratione.

256. I. OBiicitur Anima hominis appetit sui unionem cum corpore: ergo ab eo separata in statu violento est: sed nihil violentum durabile, ut habet receptum proverbium: ergo tandem aliquando & ipsa peribit.

Resp. dist. ans. Anima a corpore separata appetit sui cum illo unionem, si sit in statu damnationis, *nego ans*: si sit in illo beatitudinis, *subdisti*, appetit cum tranquilla conformatione suae voluntatis ad divinam, qua ratione abest omnis anxietas atque afflictio *conc.* secus *nego ans*. Et *dist. conseqs*. Anima separata a corpore est in statu violento, quatenus ut ait S. Thomas (1) *non habet naturalem perfectionem nisi corpori unita*, conc. conseqm, secus eam nego. Porro unio animae rationalis cum corpore in statu suae damnationis cumulat suam calamitatem non aliter ac quaevis ipsi essentialis perfectio ut vis intelligendi: in statu vero beatitudinis hanc complet, quandoquidem juxta S. Bernardum (2) animae separatae aliquid deest de gloria, cujus capax est, & juxta S. Augustinum (3) *retardatur quodammodo, ne tota intentione feratur in illud summum caelum, quamdiu non subest corpus, cujus administratione naturalis appetitus corpus administrandi conquiescat*. Quod nihil violentum sit durabile, dictum est de illis, quae possunt deficere, cujusmodi non est anima quae capax non est dissolutionis, quia simplex est, neque alterius generis interitus, quia spontaneus reditus in nihilum non est in ullius creaturae potestate.

257. II. Obiicitur. Ut statui certo possit, an anima hominis sit immortalis, opus esset ejus naturam cognoscere: sed hanc non cognoscimus; Nam de ea adhuc disputatur: ergo.

Resp. I. *nego mai*. Nam habemus revelationem divinam de immortalitate animae nostrae, quae excludit necessitatem cujusvis rationis ad illam certo statuendam. Quod si adversarii dicant loqui se de certitudine acquisita per solam philosophiam, tunc respondeo cum Trevoltianis (4), ubi hanc obiectionem a Voltaire propositam in literis philosophicis referunt, *dist. maj.* Opus esset animae naturam cognoscere, scilicet simplex ne substantia sit, & a corpore toto genere distincta, *conc. maj.* Opus esset animae naturam cognoscere quantum ad intimam suam essentiam, *nego maj.* Et proportionali modo recepta vel rejecta mi-

(1) Th. 1. p. q. 90. a. 2.
(2) Be. de gra. & lib. arb.
(3) Au. de Gen. ad lit. l. 12. c. 37.
(4) Tr. ann. 1755. ar. 121.

minori, *nego conseqm*. Simplicitas animæ, quatenus ea non constat pluribus partibus simul conjunctis ad suæ naturæ constitutionem, quod demonstratur ubi de spiritualitate animæ agitur, est antecedens plusquam sufficiens ad concludendum eam non posse deficere per dissolutionem, qualem videmus in corpore, sed solum per voluntatem creatoris, qui eam in nihilum redigat, quod se nunquam facturum revelavit.

258. II. Obiicitur. De immortalitate animæ rationalis nulla haberi potest demonstratio a ratione desumpta: ergo seposita revelatione dubitare de illa necesse est.

Resp. I. Omitto totum. Revelatio enim reapse adest, quæ est via brevissima hujus veritatis cognoscendæ & tuendæ. Omitto etiam, tum quia nescio de quonam genere demonstrationis loquantur, qui ita obiciunt: tum quia plures magni nominis philosophi pro illis solent citari. Atque in his est I. Aristoteles, qui vel dubitavit de animæ immortalitate, ut censuit Scotus cum multis; vel varius fuit & inconstans in hacre, ut ait Canus (1), vel affirmate eam mortalem esse docuit, ut illi tribuit Alexander Aphrodisæus, tam celebris sub Imper. Antonino Pio Aristotelis interpres (2) *ut nemo* juxta Hieronymum Pontanum *existimaretur peripateticus, qui idem non esset Alexandreus*, ejusque auctoritate decepti idem de Aristotele crediderunt SS. Justinus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, & deinde Caietanus, & Simon Porcius in libello *de mente humana* impresso Florentiæ anno 1551., & Petrus Pomponatius Mantuanus Bononiæ mortuus anno 1525. ætatis suæ 63., in commentario latine scripto, sed stilo perquam barbaro, & typis Bononiensibus impresso anno 1516., quem inscripsit *de immortalitate animæ* per antiphrasim ut visi sunt credidisse quotquot ejus damnationem procurarunt Romæ, quæ ut narrat Origlia in additamentis ad Dictionarium Ladvocati, ab ea abstinuit, nec ad eam unquam postea devenit, saltem in ultimo indice librorum prohibitorum sub Benedicto XIV. ea non habetur, quia auctor ibidem profitetur immortalitatem animæ rationalis esse per Sacram Scripturam extra controversiam, non vero per philosophiam, & sæpius in suis libris repetit se Ecclesiæ catholicæ censuris omnes suas opiniones subiicere. Propter quam caussam festive Trajanus Boccalini finxit (3) Apollinis tribunal flammis eum condemnasse in ea solum parte qua philosophus erat.

259. II. Est post Aristotelem Lucretius, qui approbavit, quæ contra nostram immortalitatem afferebantur, & quæ ipsemet in tertio sui operis libro ex professo exposuit. III. Est Scotus (4), qui ut ait Canus (5) *argumentis quæ probant animam esse immortalem argute respondet*. IV. Est Caje-

(1) Ca. Loc. the. l. 12. c. 15.
(2) Po. de immor. l. 1. c. 2.
(3) Bo. Centur. 1. raggu. 90.
(4) Sc. in 4. di. 43.
(5) Ca. Loc. l. 12. c. 15.

Cajetanus hoc est Thomas de Vio celebris religiosus Ord. Præd. Cardinalis & Episcopus suæ patriæ Cajetæ, qui eodem Cano teste (1) *scripsit se credere quidem animam rationalem incorruptibilem esse, at nescire tamen*. Mitto alios veteres, de quibus Salmeron dixit (2) *rationes pro animæ immortalitate ut quidam tradunt, non omnes mathematicæ existunt, neque certam fidem omni prorsus exclusa formidine gignere valent*, quibus nuper accessit præter Formeyum supra (n. 21.) notatum Pufendorffius dicens (3) *circa durationem animæ a corpore separatæ persuasio, in qua animus hominis plane & firmiter acquiescere possit, ex solo Dei verbo hauritur*. V. Recentissime extitit Castus Innocens Ansaldi, qui iterum iterumque (4) propugnavit referentibus etiam Trevoltianis (5) consensum hominum perpetuum & universalem in immortalitatem animæ nostræ originem habere a vera religione, quæ quosvis errores præcessit. Mentionem non facio de quibusdam philosophis in christiana etiam religione educatis, qui libris editis immortalitatem animæ negarunt; Nam aut illis accesserunt, quos Concilium Lateranense (n. 221.) appellavit *temere philosophantes*, ut Dodwellus & Collins, quorum impetum fregit Samuel Clarke apud Bibliothecam selectam Clerici (6), aut minus sui compotes fuerunt ut Hjeronymus Cardanus, & Uriellus Acosta Lusitanus homo, primo christianus, & deinde sumpta circumcisione Judæus, quorum uterque se occidit, Cardanus quidem fame anno 1663, alter autem circa annum 1640 per globum contra se ex accensa breviori fistula emissum, ut Ladvocatus (7) refert.

260. *Resp.* II. *nego ans* cum multis, qui Lucretium materialistarum gregis ductorem impugnarunt, in quibus locus dandus est insignis Card. Polignacco, qui eodem genere, elegantissimis versibus (8) de eo triumphavit: & cum Cano, qui Scotum & Cajetanum coarguit, Scotum quidem, quia (9) *videtur demonstrationes mathematicas quæsiisse*, ubi non est illis locus, & quod ille cuidam in hac re argumento reposuit, (10) *perridiculum* dicit: Cajetanum vero, quia minus constantem invenit in iis (11), quæ de hac quæstione scripsit: & cum Augustino Nipho, cujus extat liber *de immortalitate animæ adversus Pomponatium* non semel impressus: & cum Hieronymo Amidei Ord. Servorum, qui eumdem acriter impugnavit anno 1518: & cum Ambrosio Fiandino Ord. S. Augustini, a quo habemus parem ejusdem impugnationem Mantuæ excusam anno 1519 & cum Card. Gaspare Contareno, qui pariter pro nostræ animæ immortali-

(1) Ca. ibid. sub init c. 15.
(2) Sa. in evang to. xi. tr. 3.
(3) Pu. Offic. hom. n. 8.
(4) An. Vind. Maupert. n. 17. & lett. al Zanotti.
(5) Tr. ann. 1759. a2. 4.
(6) Bi. to. 26. p. 2
(7) La. Dict. ar. Acosta, e ar. Cardano.
(8) Po. l. 5. a v. 735. ad 786., & a v. 931. ad 1010.
(9) Ca. Loc. the. l. 12. c. 15. in fin
(10) Ibid. ad 4. prooof.
(11) Ibid. sub init.

talitate scripsit contra id quod suus olim præceptor Pomponatius docuerat: & cum tot aliis, qui contra ipsum ita conclamarunt, ut ipsemet referat in apologia, quam vulgavit Bononiæ anno 1518, hoc suum opus, fuisse a magistratu Veneto flammis ad infamiam devotum, quod narrat etiam Silvester Pejerius (1): & cum Pontano, qui Pomponatium pariter & Porcium illius discipulum Neapoli in patria sua mortuum anno 1554. confutavit: & cum ipsomet Pomponatio, qui hanc suam opinionem deinde erroris damnavit, ut ait Savellus in tomo 2. suæ Ethicæ apud Jo. Bapt. Lascaris Guarini (2): & cum Leibnitio, aliisque, qui Pufendorffium reprehenderunt eodem Guarino auctore in eo de jure tractatu, quem jam antea minus copiosum publicaverat (3): & cum Francisco Zanotto, qui Ansaldo restitit: & cum Thadæo Nogarola & aliis supra laudatis: & cum S. tandem Augustino, qui suo tempore observavit paucos quidem, sed tamen aliquos (4) *magno præditos ingenio, abundantes otio, doctrinisque subtilissimis eruditos ad indagandam animæ immortalitatem pervenisse.*

261. Illud addo opinionem de mortalitate animæ nostræ attributam Aristoteli ab Alexandro, refelli ex Theophrasto præcipuo Aristotelis discipulo, qui ab eo assertam dicit ejus immortalitatem, cui auctore Pontano (5) consentiunt Eudemus, Themistius, Ammonius, Jo. Grammaticus, Simplicius, Averroes, S. Thomas, & alii multi, & quidem jure quia abundant manifesta Aristotelis loca, quæ id suadent, & opportuna explicatione eludi possunt, quæ in contrarium proferuntur, ut idem Pontanus (6) ex instituto ostendit, qui propterea in eam, quæ aliorum est, sententiam descendit, quod Alexander suam de mortalitate animæ hæresim extorta per fas & nefas auctoritate Aristotelis facilius voluerit persuadere, (7) *communem hæreticorum cujusque sectæ consuetudinem sequutus, qui verissima bene sentientium dogmata, & verba depravare, & ad corruptas sententias suas detorquere semper conantur.*

262. Instant aliqui: non potuit Aristoteles affirmare animam rationalem esse immortalem, postquam quædam habuit tamquam certa, ex quibus per necessariam consequentiam infertur esse mortalem: ergo vel numquam affirmavit esse immortalem, vel sibi contradixit: Atqui hoc secundum nefas est dicere de tanto philosopho: ergo primum dicendum.

Resp. Omissis reliquis nego subsumptam propositionem omnibus jam consentientibus, qui admirantur quonam modo majores nostri habuerint dicta & opiniones Aristotelis pro oraculis, a quibus recedere idem esset ac errare, & ipsum rationis lumen extinguere, præsertim cum notum sit ac

(1) Pe. de Strigis l. 1. c. 5.
(2) La. Juris princ. to. 2. di. 6.
(3) Gu. Ius nat. di. præl.
(4) Au. de Trin. l. 13. c. 9.
(5) Po. de immor. l. 2. c. 5.
(6) Po. ibid. l. 1. c. 5. & seq. & l. 4.
(7) Po. ibid. l. 1. c. 6.

ipsius libros, quos Sylla ex Athenarum spoliis Romam detulit, fuisse ad arbitrium grammatici Tirannionis & Andronici philosophi dispositos, & in locis vetustate corruptis suppletos. Ex hoc interea præjudicio quod in Aristotele staret omnis vera circa res naturales cognitio Pomponatius & alii apud Carolum Sanseyerinum (1) dixerunt animam rationalem secundum philosophiam esse mortalem, ut adverterunt jam Storchenaus (2) & Tiraboschius (3).



PRO-

(1) Sa. Filos. moral. l. 2.
(2) S. Psychol. n. 72. in scho.
(3) Ti. Lett. Ital. to. 7. p. 1. l. 2. c. 2.

PROPOSITIO VII.

Anima brutorum non est ordinis superioris anima hominis.

ARTICULUS I.

De adversantibus propositioni.

263. Nter adversarios nominatur Hugo Grotius, mortuus anno 1643, ætatis suæ 60. permultis scriptis libris celeberrimus, qui apud Dalham censuit (1) *brutorum agendi principium esse forte Deum, forte Angelum, aut animam universalem Averrois*. Sed insigniorem in his locum nostra ætate sibi vindicavit Gulielmus Bougeantius Quimperici natus anno 1690, & Parisiis mortuus ann. 1743, de quo mentionem faciunt omnia Dictionaria historica propter plura ab eo edita tum in genere philosophico: tum in comico, quo usus est ad schisma Jansenianum impugnandum: tum dogmatico, in quo italo etiam vulgo nota est *Expositio doctrinæ christianæ*, quippe e gallica prodiit italica Venetiis anno 1757: tum in historico, in quo gallice promulgavit anno 1727, *historiam de bellis & tractatibus, quæ præcesserunt tractatum Westphaliæ*, cujus epitomam dedit Abbas Des Fontaines in *Censuris librorum novorum* (2) quasi prolegomenon ad *historiam de tractatu Westphaliæ*, quam non perfecit nisi post multos annos ex rationibus allatis in iisdem censuris (3) ubi de hac historia loqui incipiunt, quæ posthuma prodiit maxime laudata ab omnibus etiam heterodoxis, uno excepto, quem Trevoltiani (4) commemorant. Itaque hic auctor singulis brutorum corporibus singulos dæmonas tribuit damnatos ad exequenda in illis animæ munia, qui profecto ex natura sua sunt spiritus perfectiores nostris animis, & ordinis superioris.

264. Hanc ipse opinionem proposuit in libello gallico *Lusus philosophicus circa brutorum loquutionem* qui primum Parisiis & Hagæ prodiit sine auctoris nomine, quod aliquæ deinde ejusdem versiones ut anglica apposuerunt quoniam brevi ipse innotuit, postquam perturbati feminarum animi horrere jam coeperant suas olim delicias catulos psittacos aliasque cicures bestiolas. Argumenta quæ pro hac opinione auctor produxit inferius solvam, præsertim cum eadem iterum protulerit Yvon (5), non solum nihil illis respondens, sed concludens Bougeantii opinionem *dif-*

 ficil-

(1) Da. Psych. n. 143.
(2) Iugem. to. 3. ar. 9.
(3) Jug. to. 4. art. K.
(4) Tr. ann 1751. ar. 1.
(5) Yv. in encyc. a Ame d. bet. & l'Amusement.

ficillimum esse convicere falsitatis, & solum eamdem ineptissime improbat, propterea quod *est opus hominis religiosi*, *& confingit cum re ludicra res, quæ pertinent ad religionem, quas nequeas satis revereri*.

265. Quod autem unus tantummodo dæmon sit pro anima cujusvis bruti probat Bougeantius a Josepho Khell (1) in hac ipsa re commemoratus, tum quia unus sufficit, tum quia si plures essent invicem non convenirent, & pugna inter illos exoriretur cum destructione bruti corporis, sicuti inquit accidit gregi porcorum, in quem ingredientes juxta evangelium plures dæmones expulsi ab hominibus (2) permissione sibi a J. Christo data, talem excitarunt pugnam cum iis, qui jam singulos porcos animabant, ut in mare tandem grex totus fuerit demersus. At male hoc exemplum pro sua opinione adducit. Nam evangelium narrat quod simul ac Jesus immundis spiritibus, rogantibus veniam intrandi (3) *in gregem porcorum, ait, ite: illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare*. Hoc autem adjunctum de impetu & quidem magno juxta Marci evangelium (4), quem particula *ecce* significat subito sequutum esse eorum in ea bruta invasionem, & aliud de duobus ipsorum millibus in mare statim quodammodo projectis demonstrant non pugnam inter illos spiritus, sed consensionem in suscepto consilio nocendi eo quo possent modo hominum sin minus corporibus saltem fortunis. Pro hoc consilio arguitur etiam ex eo, quod sicuti sine discordia erant in uno homine, ita esse etiam in pluribus poterant animalibus. Præterea cum adverto responsum dæmonis interrogati a Jesu de suo nomine (5) *Legio mihi nomen est, quia multi sumus*, videor mihi videre unum dæmonium aliorum principem, nec admirationem jam habet præsentanea ad ejus imperium totius gregis præcipitatio.

266. Nosse interea juvat quod Freron (6) narrat Bougeantium propter hunc *philosophicum lusum* multas subiisse molestias, & exilium etiam ab urbe Parisiorum, a quo tandem evocatus brevi interiit: Auctor autem historiæ literariæ Italiæ (7) refert ipsum coactum fuisse hanc opinionem expresse detestari, quam idem in literis anni 1736 ad Abbatem De Valette dicit se animi caussa exposuisse. De his literis, meminit etiam auctor anonymus, qui gallice *Dictionarium historicum literarium & criticum* edidit anno 1758 nescias ubi, ut celebraret scriptores schismaticos Jansenio Yprensi adhærentes, eosque deprimeret, qui his restiterunt, quod dolet non fecisse Ladvocatus in suo Dictionario. Guerius (8) addit ejusdem palinodiam toti Parisiorum urbi notam fuisse, ut Hildropium retunderet, qui in citato (n. 192.) libello contra eam scribens satis inurbane, ut etiam notat Bibliotheca Britannica jam dicta, Gallos omnes offendit, quasi

(1) Kh.obser. in nov. test.decasi. obs.8
(2) Matt. c. 8. v. 28.
(3) Matt. c. 8. v. 32.
(4) Mar. c. 5. v. 13.
(5) Mar. c. 5. v. 9.
(6) Fr.Lett. sur quelq. ecrit. to.4. le 8
(7) St. Vol. 2. l. 1. c. 8. n. 6.
(8) Gu. ubi supra vol. 2. c. 2.

quasi non solum serio proposita fuerit ab uno in Gallia nato, sed a tota etiam hujus regni gente approbata, & celebrata.

267. Huic fabulosæ opinioni occasionem præbere potuit conficta a poetis Gigantomachia, quæ Typhonem præ cæteris extollit, qui, ut habet Ovidius (1) Deos compulit ad occultandos se sub bestiarum formis:

Duxque gregis, dixit, fit Juppiter, unde recurvis
Nunc quoque formatus Libys est cum cornibus Ammon:
Delius in corvo, proles Semeleja capro,
Fele soror Phœbi, nivea Saturnia vacca,
Pisce Venus latuit, Cyllenius ibidis alis,

Quibus similia Apollodorus Atheniensis grammaticus uno & amplius sæculo antiquior Ovidio habet apud Athanasium Kircherum (2). Quam fabulam ab absurditate plus nimio manifesta Aegyptii liberarunt, qui referente Plutarcho dicebant non jam Deos, sed (3) *Typhonis animam in bestias avolasse*, quo nomine Tartarum, & malos Genios (4) significabant. Quare etiam Typhonios appellabant, qui aliter Dæmoniaci dicuntur. Ac propter hanc caussam aliquando bestias colebant, ut Typhonem placarent & demulcerent: aliquando vero eas *immolabant atque mactabant tamquam supplicium aliquod genii hoc esset . . . . & alicubi vivos combusserunt homines, Typhonios appellantes, & cineres eorum dissiparunt*. In Typhone ejusque asseclis, quos fabulæ Jovis vindictam expertos repræsentant, dum cælestibus bellum inferrent, nemo non videt depravatam a paganis historiam divinitus revelatam de Lucifero aliisque angelis propter suam in Creatorem rebellionem e cælo in sempiternum expulsis.

268. Prælusit etiam Bougeantio Abbas de Villars in suo libro *Comes de Gabalis, seu de Scientiis arcanis* Gallice Parisiis edito an. 1670 juxta Dictionarium Morerii (5), qui quamvis suo Auctori damnum intulerit, cum creditus fuerit perversam doctrinam continere, nihilominus iterum atque iterum novos typos eodem curante habuit. Ejus enim scopus est persuadere aerem terram aquam & ignem plena esse spiritibus: Sylphos appellat illos aeris, quos dicit esse avium animas: Gnomos illos terræ, quos vult quadrupedes informare: Nymphas illos aquæ, & hinc piscium animæ: illos tandem ignis, Salamandris, & aliis, siqua sunt, in igne viventibus assignavit. Plura dabit Guerius (6) de hoc Villarsii systemate, qui juxta Ladvocatum (7) occisus a latronibus fuit anno 1675, dum Parisiis Lugdunum iret. Ex his in hac re cogitatis jam olim ab Aegyptiis, a Grotio, a Villarso patet falsum esse, quod Benedictus Stattler dixit, Bougeantium conatum esse (8) *verisimilem reddere hypothesim, quæ nemini antehac in mentem venerat*.

 269. Ci-

(1) Ovi. Metam. l. 3. v. 327.
(2) Ki. Oedip. aegyp. to. 1. synt. 3. c. 8.
(3) Pl. de Isid. longe post med.
(4) Ib. ibid.
(5) Mo. Dict. ar. Villars de Montfaucon.
(6) Gu. An. d. bell. vo. 2. c. 5.
(7) La Dict. ar. Villars.
(8) Sta. Psych. n. 434.

269. Citantur etiam inter Adverſarios primo Hieronymus Rorarius, qui referente Card. Pallavicino (1) fuit ex cubiculariis Clementis VIII. Rom. Pont., & auſus eſt tribuere brutis perfectiorem rationem, quam homini in libello juxta Tiraboſchium (2) raro, *quod bruta utantur ratione melius homine*: deinde Montagne, & Auctor Literarum Caballiſticarum Marchio d' Argens, qui comparationem inſtituentes inter quoſdam mores & operationes quorumdam brutorum & hominum, eo videntur tendere, ut ſuadeant brutorum naturam non ſolum parem, verum etiam perfectiorem natura hominum. Sed quonam modo id opinari ſerio potuerunt in tanta multitudine tot aliarum operationum, quas quotidie nemo non videt fieri ab hominibus, & nunquam a brutis? Propter quam cauſſam merito apud Guerium (3) ignominiam malorum philoſophorum, & improborum ſcriptorum ex his ſuis opellis reportarunt.

270. His ſuffragantur, qui ut mera automata ſuaderent eſſe bruta ſic poſt Carteſium cum Fortunato a Brixia (4) arguunt. Data brutis vi percipiendi, danda illis etiam eſt in gradu perfectiori, quam ſit in homine. Pro quo falſo & negando aſſumpto dicunt: bruta per ſimplicem perceptionem diſcernunt, quæ ſibi utilia aut neceſſaria ſunt, a noxiis & inutilibus: Sed nos id non obtinemus, niſi ratiocinatione, quæ, quoniam eſt ut ait S. Auguſtinus *a certis ad incertorum indagationem nitens cogitatio*, imperfectior eſt perceptione. Quare cum Theologi doceant, ſic Carteſius (5) *Dei & Angelorum cognitiones ſimpliciſſimas etiam eſſe, nullisque diſcurſuum involucris alligatas, jam cognitiones brutorum ad Dei & Angelorum magis, quam humana ratiocinatio accedent*: ergo. Sed reſpondetur *diſt. maj.* Bruta diſcernunt per ſimplicem pereeptionem utilia & neceſſaria in linea rerum inſenſibilium nec præſentium, *nego maj.* in ſola linea rerum ſenſibilium & ſibi præſentium, *ſubdiſt.*, quatenus ab his perſæpe determinantur ad illa fugienda & alia capienda, quin tamen nihil cognoſcant ſub ratione utilis & neceſſarii, *conc. maj.*, quatenus ab omnibus ſic determinentur, ut ea cognoſcant ſub ratione utilis, *nego maj.* Nam videmus ſæpe bruta tentare odoratu aliquem cibum ſibi novum, antequam eo veſcantur, vel ab illo recedant, & novimus veneno ea aliquando perire, quod non potuerunt diſcernere: & inter inſidias & retia ſibi parata a venatoribus ludere, Omitto autem minorem, quæ univerſaliter falſa eſt; Nam accedimus ad ignem, cum frigore premimur, ad aquam cum laboramus ſiti, & alia ſimiliter utilia & neceſſaria ſtatim diſcernimus, nulla prævia ratiocinatione. Et *nego conſeq.*

A R-

(1) Pa. Stor. del Conc. l. 2. c. 10 n. 8.
(2) Ti. Lett. Ital. to. 7. p. 3. l. 3. c. 4. n. 5.
(3) Gu. ubi ſubra vol 2. c. 2.
(4) Bri. Phyſ. partic. n. 4447.
(5) Car. Epiſt. p. 2. ep 8. n. 2.

ARTICULUS II.

Argumenta pro propositione.

271. NON potest dici animas brutorum perfectiores esse nostris, quia tantum possint illæ simplici perceptione, quantum animæ nostræ per ratiocinium; Nam hoc ex nuper dictis est falsum: Neque quia exerceant operationes nostris perfectiores; Nam hoc esset contradicere evidentiæ, qua nobis constat nulla a brutis edi signa religionis, nullum habere usum loquutionis articulatæ, nullam ediscere scientiam aut artem, & nulla demum prodere intellectus argumenta, de quibus inferius enumerationem quamdam instituam: Neque tandem quia hujusmodi animæ sint totidem Dæmones. Nam hæc opinio est certo falsa, quia Sacra Scriptura aperte negat brutis intellectum, qui in hac sententia illis conveniret, cum Dæmones sint spiritus intellectivi. Verba Scripturæ inferius opportuniori loco afferam.

272. Est etiam horribilis auditu, ut arguit Jaszlinszkius (1), postquam ex Sacris Litteris (2) habemus Spiritum Sanctum non quidem unionem hypostaticam contraxisse cum columba, qui videtur fuisse error Tertulliani apud Maldonatum (3). sed *sicut columbam* visibiliter descendisse super Christum, dum Joannis baptismum susciperet, ut juxta S. Augustinum (4) significaret dolo quovis carere sanctificatos. Et cum in eis. dem J. Christus dicatur Leo, & ipsemet se agnoverit figuratum in æneo serpente, quem (5) *Moyses exaltavit in deserto*. Et cum idem Dominus persæpe sub figura agni ut alibi (6) observavi a Scriptura repræsentetur, & agnus appelletur vel expresse vel æquivalenter sub nomine paschæ (7) *Pascha nostrum immolatus est Christus*, ubi pascha est pro agno juxta illud, (8) *Ubi vis paremus tibi comedere pascha*. Quare canon Trullanus 82 prohibens *Christum Dominum agni figura pingere* factus a pseudosynodo constantinopolitana, communiter rejectus est tamquam *erroneus & injuriosus sacris scripturis*, ut notat Bonaventura S. Elia (9). Et cum S. Joannes (10) viderit unum Angelum formam bovis, alium leonis, & alium aquilæ referre: Et cum ipsemet Christus J. Ecclesiam suam ovile, ejusque membra, tam sanctos, qui in cælis regnant, quam fideles, qui in terris vivunt, oves appellaverit.

273. Est præterea repugnans S. Augustino qui loquens de serpente Evæ deceptore, dicit (11) *iste serpens non irrationali anima, sed alieno jam*

(1) Ja. Metaph. di. 3. n. 528.
(2) Matt. 3. v. 10. Luc. 3. v. 22. Joa. 1. v. 32.
(3) Ma. in Matt. c. 3. v. 16.
(4) Au. tr. 6. in Joa.
(5) Joa. c. 3.
(6) De mirac. n. 354. tert edit.
(7) 1. Cor. c. 5.
(8) Matt. c. 26.
(9) Bo. Synop. conc. p. 2. pag. 85.
(10) Apoc. c. 4.
(11) Au. de Gen. ad lit. l. 11. c. 2. n. 4.

jam spiritu , *idest diabolico posset sapientissimus dici omnium bestiarum* . *Quantumcunque enim prævaricatores angeli de supernis sedibus dejecti sint* , *natura tamen excellentiores sunt omnibus bestiis propter rationis eminentiam* : ergo S. Augustinus tenet spiritum diabolicum supervenire animæ brutorum irrationali . Est tandem indigna philosopho , quandoquidem inquit Storchenaus (1) *ipsius rationes auctor* Bougeantius *in illis potissimum actionibus quærat quæ intellectum arguere videntur* , *sed infirmæ* inveniuntur diligenter consideratæ .

274. Sunt qui alia etiam pro hac propositione argumenta proponunt, quæ quoniam aliquibus videntur esse alicujus momenti , aliis vero nullius , utrisque satisfaciam ea referens cum responsionibus , quæ iisdem redduntur . Primum sit . Mali Dæmones si essent in brutis pro anima , jam dicendum esset eos a nobis admitti ad quamdam nobiscum societatem vitæ , eos in canibus amare , illis in in equis uti , in avibus blandiri , & similia : Sed hæc dici non possunt sine horrore : ergo neque dici potest malos Dæmonas esse brutis pro anima .

Sed respondet Bougeantius (2) *dist. maj.* Dicendum Dæmonas amari a nobis in brutis , & similia propter nos , non propter se *conc. maj.* : secus *nego maj.* Et juxta datam distinctionem *nego min.* Horrorem omnem contendit ille debere evanescere in iis , qui animadvertant nullum brutum amari propter seipsum , sed propter commodum nostrum , cui illa destinata sunt , & proinde etiam destinati Dæmones , qui illa animent . Quare sicuti sine ullo horrore utimur etiam familiariter iis hominibus , quos scelestos & impios novimus , quoties illos experimur nobis morigeros : ita etiam tuto uti possumus hujusmodi Dæmoniis , quæ videmus non esse in brutis inclusa ad nobis nocendum , sed inserviendum .

275. Secundum argumentum , quod cum iis , quæ sequuntur , proponit Cadonicus (3) sic habet . Prophetæ invitant bestias ad benedicendum Deo , (4) *Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino* : *Laudate* (5) *Dominum bestiæ & universa pecora* , *serpentes & volucres* : Sed non potuissent Prophetæ invitare ad laudandum Deum bestias , si mali Dæmones has animarent , utpote qui ipsum odio habent , & in æternum blasphemant : ergo . Sed respondetur, *conc. maj. & nego min.* Novimus in Evangelio malos Dæmonas fassos esse Divinitatem Jesu Christi , timuisse ipsius potentiam , deprecatos esse ipsius vindictam . Quare non semper illum blasphemant . nec actu semper odio habent . Præterea invitatio ad laudandum necesse non est, ut sumatur tamquam directa bestiis , sed ut directa nobis ad cognoscendam ex illis potentiam Dei , & adorandam ejus Majestatem ? In hoc sensu invitantur in objectis psalmis ad benedicendum Deo etiam Aquæ Sol Luna Imber Ros Æstus Frigus , & omnia

(1) St. Psych. n. 279. scho.
(2) Bo. Sur les Bet. p. 1. p. 19.
(3) Ca. Confut. di Derha. §. 8.
(4) Dan. 3.
(5) Psal. 148.

omnia opera Domini, & jubentur *laudare Dominum de terra Dracones & omnes Abyssi*.

276. Tertium fit, Deus post creationem brutorum dixit illa esse bona: sed si Dæmones essent illis pro anima, non potuisset dicere esse bona; Nam Dæmon factus est pessimus peccato suo: ergo.

Sed *resp. conc. maj.* & *nego min.* Nam etiam in ea hypothesi de Dæmone pro anima in brutis, quicquid in ipsis est physicum, a Deo est creatore, & bonum est, & illud solum, quod in eis est morale, Dæmonis scilicet malitia, quæ privatio quædam est, & Deum non habet auctorem, malum est.

277. Quartum fit. Deus benedixit brutis per hæc verba, (1) *Crescite & multiplicamini*, Sicuti benedixit hominibus: sed hoc non potuisset habere locum in brutis, si anima illorum esset aliquis Dæmon: ergo.

Sed *resp. conc. maj.* & *nego min.* Nam illa benedictio respicit corpora oganica sensibilia, quæ crescunt & multiplicantur, non vero animas, quæcunque in brutis sint, distinctas a materia. Hæ sicuti non crescunt nec multiplicantur in hominibus ipsorum immediata opera, ita neque in brutis, sed a Deo creantur, & corporibus inseruntur juxta phrasim SS. Fulgentii & Gregorii Magni supra (n. 148.) adductam, quibus addo S. Augustinum, qui ait (2) *Quælibet corporales vel seminales caussæ gignendis rebus adhibeantur, ipsas omnino naturas, quæ sic vel sic in suo genere afficiantur, non facit nisi summus Deus*.

ARTICULUS III.

Objectiones generales.

378. OBjicitur. Sicuti possidere aliquam scientiam & artem est argumentum intellectus, ita brevi has possidere est argumentum intellectus perfectioris: sed omnia fere bruta cum primum adoleverint, possident plures scientias & artes; Nam imprimis omnia fere bruta, quin institutione, exemplis, & repetitis experimentis indigeant, sciunt uti suis membris ad se movendum in elemento singulis assignato; Videmus enim equorum oviumque pullos sequi statim ab ortu suas matres, quocunque ierint: & aves e nido egredi volatum jam exercentes, hoc est quatientes alas, agitantes caudam, & totum corpus librantes, prout requiritur ad volandum in hanc vel illam partem altiorem aut humiliorem pro ipsorum libito: & pisces adhuc minimos per aquas sursum & deorsum libere spatiari, & quodvis quadrupedum ab aquis emergere per felicem natationem. Pleraque pariter bruta jam adulta possident scientiam quamdam militarem singulis spe-

(1) Gen. 1. (2) Au. l. 12. de Civ. c. 25.

speciebus propriam. Quæ enim robusta sunt & armata unguibus vel cornibus, hæc statim adhibent contra aggressores, quæ jam antea ad pugnam diligenter præparaverant ea acuendo vel ad petras, ut mos est aquilis, vel ad arborum truncos, ut Tauri solent. Quæ vero par hostibus robur non habeant, ea vel multitudine se defendunt, ut Ciconiæ & Anates: vel fuga ut Lepores & Corvi: vel industria, ut jumenta, quæ feris tergus non frontem exhibent, ut quando hæc opportune sibi accesserint, calcibus os & dentes perfringant.

279. Deinde multa ex brutis callent etiam artem aliquam particularem, & quidem tam expedite, ut ingenita non per gradus acquisita videatur. Plutarchus artem architecti, & structoris admiratur in hirundinibus (1), quæ festucas disponunt in nidos apta quadam gradatione a solidioribus ad subtiliores pergentes, quas invicem constringunt creta superinducta, quam ex tenui pulvere aliis prius opportune ad hoc opus madefactis componunt & deferunt. Idem artem textoris & machinatoris agnoscit in araneorum telis, quas a centro quodam aliqui saltem ducunt per circulum ad satis amplam latitudinem, collocatis filis textus ad æquales angulos, & filis subtegminis ad distantias ubique inter se æquales. Quid dicam de peritia apum in constructione alvearium, quæ distinguunt per cellulas hexagonas? Quid de operibus castorum, quæ plurium artium cognitionem præseferunt, quot requiruntur ad solida ædificia, quæ sibi construunt ex palis apte humi infixis, & connexis inter se per vimina, & congestam humum, & distribuunt in plures concameratas mansiones, qua magis qua minus amplas pro numero eorum, qui simul vivunt, & suo singulas tectorio perpoliunt, ut ex Commentariis Acad. Scient. Paris. ad an. 1704 fusius exponit Pluche (2).

280. Tandem multa ex brutis statim assequuntur scientiam medicinæ sibi opportunam, cujus vi quærunt subito & applicant determinata remedia, quibus convalescunt: (3) *Canes*, sic Lessius, *nauseabundi graminis esu vomitum provocant, & bilem rejiciunt. Palumbes, Graculi, Merulæ, Perdices lauri folio annuum fastidium purgant. Chelidoniam visui saluberrimam hirundines monstravere, vexatos pullorum oculos illa medentes. Cervi sagitta confixi dictami pastu illam ejiciant, & a phalangio vel serpente percussi cancros edendo sibi faciunt medicinam. Mustela se ruta præmunit ad conferendum cum venenatis*. Segnerius (4) auget hanc inductionem dicens viperas expellere cæcitatem fœniculo, & testudinem venenum origano. Auget & Petrus Papi per hæc verba, (5) serpens ad sanandum oculorum morbos recurrit ad marathrum. Leo carnem vulpis devorando languores propellit. Leopardus in vitalibus lan-

(1) Plu. Terrestriane anaquatilia.
(2) Plu. Spect. Nat. Les Anim. terrestr.
(3) Le. de Provid. n. 98.
(4) Seg. Incredulo p. 1. c. 13. n. 6.
(5) Pap. Sacr. Critic. pag. 19.

la nguoribus caprinum sanguinem fugit. Aper ægrotans hederam manducat. Ursus cum formicis amissam salutem recuperat. Ciconia cum origano vulnera sanat. Bufo cum vipera dimicans antidotum in plantagine reperit. Multa ex his, & alia congessit etiam Plutarchus ex Democrito, qui contendebat nos (1) *animalium in maximis rebus fuisse discipulos*. Alia pariter exempla, quæ dedit S. Ambrosius (2), ipse idem cumulavit observatione eorum brutorum, quæ Astrologiæ se perita ostendunt. *Boves*, inquit, *impendente pluvia ad præsepia se tenere norunt, alias foras spectant, & ultra præsepia cervices extendunt, & prodire se velle testantur, eo quod imminet aura serenior. Hericius futuri providens geminas sibi respirandi vias munit, ut quando boream flaturum cognoverit, septemtrionalem obstruat, quando noto cognoverit detergi aeris nubila, ad septemtrionem se conferat, ut flatus declinet obvios, & e regione nocituros*.

281. Mitto, quæ idem de formicis addit, quod *præsagientes serenitatis tempora madidatos fructus foras exportent, ut in Sole siccentur*; Nam qui recentius in horum insectorum studium accuratissime incubuerunt, ut Joannes Rajus (3), & Franciscus Ginannius (4) testantur se in nullis diversarum formicarum cavernis ullum unquam horreum invenisse, Verius in hac re exemplum ab avibus occurrit, quarum permultas species quasi calendario quodam consulto videmus de una in aliam regionem quotannis transmigrare, statis sin minus diebus, saltem mensibus. ut plane appareat tam exiguas itinerum variationes nasci ab adversa aut propitia tempestate, quæ easdem, non secus ac nos navigantes aut peregrinantes retardat aut accelerat, ut citatus Ginannius (5) observat, ubi plures de migrationibus avium Scriptores nominat. At quivis interea hominum nihil aliud novit, non solum cum primo natus est, sed post multos etiam vitæ menses nisi lugere: licet manibus pedibusque instructus sit; uti tamen neutris nescit: diuturno opus habet conatu, & frequenti exercitio, ut quod faciunt bruta ab ortu, ipse tandem efficiat: scientiam aut artem vel unam non consequitur, nisi post multos labores: nec remedia sibi opportuna invenit, nisi post multa tentamenta: & omnino ignarus est vicissitudinum futurarum atmosphæræ: ergo bruta altem plura habent intellectum etiam perfectiorem humano.

282. *Resp. conc. mai. & dist. min.* Possident bruta scientiam aliquam aut artem, sumptis his nominibus metonymice pro effectu quodam, qui sapit scientiam aut artem, quæ tamen solum est in causa creatrice brutorum, *con. min.* sumptis illis nominibus in sensu proprio, *nego. min.* Quæ objiciuntur fiunt a brutis per instinctum, hoc est ut supra (n. 7.) sexposui, & inferius distinctius explicabo, ex determinatione ipsis indita

R a Deo

(1) Pl. Terrestriane au aquatilia.
(2) Amb. Hexam. l. 6. c. 4.
(3) Ra. Sapientia Dei manifesta.
(4) Gi. le Pinete l. 4. clas. 5. n.97.
(5) Id. ibid. clas. 2.

a Deo creatore, quin ipsa norint, quam homo in illis percipit artem aut scientiam. Determinationes autem hujusmodi habent brutorum animæ sibi concreatas admirabili Divinæ Providentiæ consilio, quia cum singula sibi relinquantur, postquam breve suæ infantiæ tempus transierint, pro quo solo Deus indidit genitoribus sollicitudinem de conservatione vitæ ipsorum, necessarium erat, ut statim instructa essent omnibus ad vitam tuendam necessariis, & iis operandi modis, qui ad singulorum distinctionem & proprietatem pertinerent, prout placuit Deo eorum sapientissimo Creatori. Hinc nulla præmissa aut experientia aut inductione construunt apes favos, aves nidos, aranei telas, & alia ab aliis fiunt.

283. Contra vero nihil simile homini concessum est, quia scilicet ipse ad vitam socialem destinatus habet in se perpetuum quemdam aliorum etiam hominum amorem, & hujus quasi fomitem, vim intelligendi, cujus usu sibi & aliis comparet, quæ ad vitam tuendam & conservandam opus sunt, ita ut non solum pro infantiæ tempore, sed pro quovis alio, quo requisitæ corporis & animi vires in singulis deficiant, per aliorum, quibuscum vivit, curam sibi abunde provisum sit. Exemplo apertissimo hujusmodi scientias & artes in brutis nullas esse, sed in solo ipsorum conditore, sic declaro. Quotiescunque homines moventur, exercent talem operationem, quæ non potest explicari, nisi ab illo, qui optime calleat Mechanicam & Anatomiam: nihilominus nemini venit in mentem tribuere ulli hominum, quod moveatur, quia has disciplinas aliquo modo possideat: cum etiam quando aliquid ex ipsis noverit, nihil ad eas advertit, neque de illis cogitat, cum movetur. Et ratio est, quia anima in his operationibus aliam partem non habet, nisi imperii cujusdam, quo posito machina corporis animata modo quodam ineffabili determinata est ad exequutionem imperii animæ. Similiter dicendum de iis, quæ objiciuntur peragi a brutis, quæ in se quidem plena sunt artificio, quod tamen laudi creatoris vertitur, non brutorum, quasi hæc ex cognitione & industria exequantur.

284. Absint igitur nomina scientiæ & artis a brutis, dum loquimur de ipsorum operationibus. Tuentur enim singula vitam suam contra aggressores aut pericula, modis, qui considerantibus exquisiti sunt, sed bruta aliam in his partem non habent, quam eam, quam quivis delabens ex improviso ita corpus suum inclinat & agitat, ut tandem stet. Fabricant sibi nidos & cubilia opportuna, sed falso supponitur adesse in illorum anima totius operis præconcepta idea. Quærunt & applicant in suis morbis apta remedia, non tamen determinata ab horum cognitione sub ratione remedii, quæ non potest haberi sine notitia de ipsius qualitate, morbi indole, horumque inter se comparatione, quo non pertingit vis cognoscendi brutis concessa, sed determinata ab jucunda sensatione, quæ in ipsis excitatur ab his dumtaxat cibis vel rebus, tunc quando

do ad sui conservationem iis indigent, non secus ac nulla interveniente cognitione cibi sub ratione salubris vel noxii, cum sana sunt, determinantur per quasdam sensationes ad hos capiendos & non illos.

285. Ex iis autem, quæ Adversarii tribuunt cuidam Astrologicæ scientiæ confictæ in brutis, aliqua explicantur per molestam aut gratam affectionem, quæ ex alteratione atmosphæræ in illis nascatur: alia per inquisitionem cibi ipsis opportuni, quem toto anni tempore in eadem regione non inveniunt: alia, & etiam omnia per instinctum, seu ingenitam sibi determinationem ad eas actiones pro certis affectionibus, quas diverso anni tempore experiantur. S. Thomas eamdem responsionem sic expressit, (1) *Animalia cognoscunt aliquid, quod futurum est, sine hoc quod cognoscant rationem futuri, non conferendo præsens ad futurum, sed ex instinctu naturali, vel ex impulsu naturæ interioris vel exterioris.* Ad hunc impulsum naturæ pertinet prosequutio eorum, quæ delectationis, & fuga ab iis, quæ doloris caussam sibi fuisse meminerunt. Atque in hoc sensu accipiendum est quod alibi idem S. Doctor dicit (2) *bruta habere præcognitionem futurorum eventuum, secundum quod ex suis caussis præcognoscuntur, ex quibus eorum phantasiæ moventur*, ut patet in felibus, quæ obviam occurrunt illi qui mane equinæ carnis ipsis gratissimæ portionem distribuit, & in canibus, qui fuga se subtrahunt a verberibus, quæ præcognoscunt in fuste contra se extento. Illud tandem addo, quod sicuti una cognitio non est scientia, ita hanc non arguit una determinata ratio operandi, quæ nunquam mutatur.

286. Qui hæc animadvertat, conveniet cum Trevoltianis (3) poeticum esse non philosophicum prædicare de araneis, quod calleant textrinam, quia telas quasdam contexunt: & de apibus, quod noverint geometriam, quia cellas faciunt hexagonas: qua figura nihil aptius ad favorum constructionem, per quam nihil spatiis inutilis inter cellulas remanet, ut Scheffer in *dissertatione de cellulis apum* edita Viennæ anno 1760 declarat, post alios quos citat: & de pigritia quadrupede magnitudinis felis, quod calleat musicam, quia ut boni & frequentes auctores apud Gasparem Schottum (4) referunt, repetit per noctem Ah incipiens ab altiori tono, & gradatim tendens ad infimum, ut faciunt, qui per notas musicas juxta vulgarem scalam descendunt. Nomen huic bruto factum est ab insigni tarditate, qua se movet. Recentissime de illo scripsit senior Gilius (5), & junior, filius fratris ipsius oculis deinde ejus figuram subiecit in italico libro *Delineatio generum* animalium juxta systema Linnæi (6).

287. Noghera (7) quamdam etiam contradictionem invenit in adver-

(1) Th. in 3. sen. di. 26. q. 1. ad 4.
(2) Id. 2. 2. q. 72. art. 1. ad 3.
(3) Tr. ann. 1747. ar. 1. in fin.
(4) Sc. Magiæ. p. 2. l. 1. syn. 5. c. 1.
(5) Gi. Sto. Ameri. to. 1. not. 20.
(6) Gi. D. lia. tam. 1. pag. 8.
(7) No. Rifl. 6. su la nat. pag. 60.

versariis; qui naturam brutorum humana longe imperfectiorem evincunt, dum hanc perfectiorem contendebant ostendere. Dum enim extollunt quasdam cognitiones, quas ab ipso ortu bruta manifestant pro statu suæ conditionis admirabiles, confitentur quod evidens est, has nunquam augeri, nec per eas reliquo vitæ tempore ad novas aut perfectiores cognitiones pervenire. Ex quo quid aliud sequitur, nisi tenuitas in vi illorum cognoscitiva ita intrinsece limitata, ut ne hilum quidem possit amplificari. Contra vero dum ab ea, quæ homini concessa est, nihil nisi imperfectum sub initium vitæ, & permultos consequenter annos prodire cum veritate repetant, negare tamen non possunt ita deinceps promoveri, ut dum quotidie eam sentimus capacem novæ in dies perfectionis, quin ullos ipsius limites videamus, necesse est fateamur perfectionem vis cognoscitivæ nobis concessæ esse supra ipsam cogitationis nostræ sphæram.

ARTICULUS IV.

Objectiones pro animis brutorum constitutis in Dæmoniis.

288. I. OBjicitur. Non pauci ex Patribus & Theologis citatis a Guerio (1) docent suffragantibus quibusdam sacrarum Literarum testimoniis, quæ adducit Maldonatus (2) cui eadem sententia placet, Dæmonas rebelles non fuisse in tartara detrusos, sed hoc illis reservari post Judicium universale: interea vero eos tamquam aereas potestates libere vagari procul a visione Dei, in qua visionis privatione nunquam revocabili dici potest consistere catenas & tenebras, in quas detrusos eos esse statim post peccatum dicit Scriptura: Sicuti in ea consistit præcipua pars Inferni, quem semper secum deferre communiter Theologi affirmant: ergo ex his Dæmoniis per mundum dispersis poterunt aliqua molestiam afferre hominibus per suas tentationes vel per se vel per alios factas: alia vero animare bruta nobis noxia: alia tandem poterunt commoda & jucunda esse ipsis hominibus, animando bruta nobis aliquo modo utilia.

Resp. omitto totum, quandoquidem argumentum loquitur de eo, quod est possibile, non de eo, quod est factum. Factum autem excluditur, ex dictis (n. 271.) a Scriptura.

289. Instant. In Apocalypsi scriptum est, (3) *Babylon facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ & odibilis*: Sed hæc conjunctio verborum custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris odibilis suffragium quod-dam

(1) Gu. Ani. delle best. vol. 2. c. 5. §. del P. Bougeant.
(2) Ma. in Matt. c. 8. v. 29
(3) Apo. c. 18. v. 2.

dam est pro opinione, quæ Dæmonas facit animas bestiarum, in illarum corporibus tamquam in custodia inclusos: ergo.

Resp. conc. maj. & nego min. Nam interpretes apud Cornelium a Lapide per illa verba dicunt significari omnis generis flagitia, quæ in ea Babylone grassabantur. Et ne forte adversarii prævertant, quod ex objecto loco contra ipsos inferri posset, male tribui Dæmonium singulis brutis etiam extra speciem volucrum odibilium, objiciendo Isaiam loqui promiscue de Dæmoniis & bestiis terræ, (1) *Occurrent Dæmonia Onocentauris &c.* moneo hoc pariter loco idem significari, ac nunc dictum est, ut censent aliqui apud eumdem a Lapide: vel quod verius est, haberi hic sermonem de Dæmoniis congregatis in Inferno simul cum damnatis hominibus, qui in corporibus sibi iterum conjunctis horribiles visu erunt ad instar monstrorum, quæ Poetæ confinxerunt.

290. II. Objicitur. Posito quod mali Dæmones sint pro anima in brutis, intelliguntur jam bruta jure subjacere vitæ tam miseræ, quæ relicta etiam est in tali arbitrio hominum ut sine ulla injustitiæ & crudelitatis nota occidantur: data autem illis alia anima cognoscente, jam nequeunt *homines*, (2) dicam cum Cartesio, *a criminis suspicione absolvi, quoties animalia comedunt, vel occidunt*: neque amplius intelligitur, quare tot malis subjecta ea sint sine ulla ipsorum culpa: neque verum jam amplius est illud Augustini, (3) *Sub Deo justo miser esse quisquam nisi mereatur non potest*.

Resp. conc. primam antecedentis partem, & nego secundam alias jam (n. 181.) explosam. Intelliguntur enim bruta subjecta esse omnibus malis, quibus subjacent, primo quia ea mala sunt consequentiæ necessariæ constitutionis, & conditionis ipsorum naturæ, quæ condita est morti & corruptioni obnoxia, & servituti nostræ addicta. Secundo quia carent vi reflectendi supra ipsamet mala, quæ patiuntur, eaque prævidendi, qua reflexione & prævisione deficientibus distant quam longissime brutorum mala a malis sensibilibus, quibus homo subjacet. Quare effatum Augustini non habet locum, cum hæc proprie loquendo nequeant esse misera, ut supra jam (n. 166.) adverti.

291. III. Objicitur. Bruta malam indolem plerunque præseferunt, non ea solum, quæ majorem nobiscum relationem habent, ut canes & feles, sed etiam quæ ab omni nobiscum commercio abhorrent, ut aves pisces insecta; Alia enim ex his sunt quasi exemplar luxuriæ. alia perfidiæ, alia ingrati animi, alia invidiæ, alia crudelitatis, omnia vero immisericordiæ: sed nisi hæc indoles repetatur a systemate singulos cacodæmonas esse pro anima singulis brutis, repetenda unice erit a Deo, quod repugnat cum Sanctitate Divina, & cum eo quod dicitur, *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: ergo.

Resp.

(1) Isa. c. 34. v. 14.
(2) Car. Epist. p. 1. ep. 66.
(3) Au. Op. imper. l. 1. n. 39.

Resp. dist. maj Bruta habent indolem malam metaphyſice, quatenus ſcilicet juxta explicationem mali metaphyſici alibi (1) datam, cum habeant cognitiones limitatas ad ſola ſenſibilia & præſentia, quæ ſpectant ad ſui & ſpeciei ſuæ conſervationem, nobis directe vel indirecte nocent, *conc. maj.* habent indolem malam moraliter, *nego maj.* Indoles enim bona vel mala moraliter non eſt in brutis animalibus, quibus certi ſumus ex revelatione & ex ratione datam ſolum eſſe aliquam cognoſcendi vim, non vero quicquam intelligendi. Propoſita diſtinctio applicata minori, & hujus probationibus excludit conſeqm. Adde, quod beſtiæ non fuerunt a Deo creatæ infeſtæ hominibus, ſed tales tunc primo experti ſunt, quando Deo obſequi recuſarunt. Tandem remota culpæ ipſius poſſibilitate in brutis, nihil reſtat in eorum operationibus, quod jure reprehendi poſſit, etiamſi ab initio fuerint Deo auctore, qualia nunc Deo vindice ſunt, nec quicquam occurrit in ſingulorum natura, quod non ſit argumentum admirandi Divinam potentiam & ſapientiam, ut alibi (2) contra Manichæos obſervavi.



PRO-

(1) De malo n. 6. edit. 2.

(2) de Malo n. 140. edit. 2.

PROPOSITIO VIII.

Anima brutorum est ordinis inferioris anima hominis.

ARTICULUS I.

De antiquioribus propositionis adversariis.

292. UI animas brutorum ejusdem ordinis cum nostris fecerint inter antiquos sunt Cleanthes Philosophus Stoicus ex jam dictis (n. 38.), & Strabo, cujus ex Plutarcho (1) *extat oratio, qua sine intelligentia sentiri omnino nihil posse demonstrat*. Eamdem opinionem visus est tenere Anaxagoras, qui teste Aristotele (2) *animam, ipsam mentem esse asserit; Nam animalibus universis tam parvis quam magnis, tam praestabilibus quam minus etiam praestabilibus mentem inesse dicit*: cui consonat Plutarchus, (3) *Anaxagoras animalia singula agentem rationem habere dixit*. Idem ibidem ait, *Pythagoras, Plato etiam, animalium, quae irrationalia vocantur, animas ratione praeditas esse dixit: illas tamen ob pravam corporum temperiem, & quod loquendi vi careant, secundum rationem non operari, uti in simiis & canibus apparet*. Catullus huic opinioni fortasse adhaesit in suo de morte passeris luctu, de eo loquens, sicuti de animis hominum sentiebant Ethnici:

Qui nunc it per iter tenebricosum,
Illuc, unde negant redire quemquam.

Virgilii etiam in hac re celebre est effatum, quo apibus dixit inesse partem Divinae mentis, & haustus aethereos. Sed hoc non tam animas brutorum ad parem vel majorem nostris dignitatem extollit, quam insinuat veterum quorumdam opinionem de anima quadam universali, cujus quasi totidem partes dicebant esse animas omnium animalium. Sed si Poetas audiamus, occurret Torquatus Tassus, qui aves canentes inducit (4) carmina a se ipsis composita, aliis interea in silentio attendentibus, & tandem cum convicio plaudentibus.

293. His igitur omissis redeamus ad philosophos. Auctor est Eusebius, Philonem scripsisse librum (5) *De ratione, quam habent animalia irrationalia*. Pythagorici apertius brutis inesse rationem docuerunt, quoniam metempsychosim, hoc est transmigrationem animarum huma-

narum

(1) Plu. de Soler. animal sub initi.
(2) Ar. l. 1. de Anim. tex. 23.
(3) Plu. Plac. l. 5. c. 20. juxta Corsinium.
(4) Ta. Goffre. Can. 16. stan. 13.
(5) Eus. l. 2. c. 18.

narum ex uno corpore in aliud etiam ferinum adstruebant, quorum mentem complexus est Ovidius hoc modo (1):

. . . . *quoslibet occupat artus*
Spiritus, eque feris humana in corpore transit,
Inque feras noster, nec tempore deperit ullo,
Utque novis facilis signatur cera figuris,
Nec manet ut fuerat, nec formas servat easdem,
Sed tamen ipsa eadem est, animam sic semper eamdem
Esse, in varias doceo migrare figuras.

Hunc errorem promovere & suadere conatus fuit Satan, si verum sit quod Philostratus ceteroquin mendax homo narrat, Leonem mansuetissimum, quem Apollonius loro tamquam canem per Aegyptum circumferebat, miserabiliter fremuisse & lacrimasse simul ac Apollonius ad confertam multitudinem dixit (2) *hominis animam ipsum habere, & fuisse Amasim Aegypti regem.*

294. Pythagoricos pro hac opinione nominavi, non Pythagoram: quia quæ de illo retulit Plutarchus, juvat intelligere de anima universali ex modo dictis. Certe quidem ab hac opinione video ipsum ab Antonio Cocchi luculenter vindicatum (3): Quin immo omnes veteres, qui ita sensisse dicuntur, refert S. Augustinus (4) vindicatos fuisse a suis posteris, ut alibi (5) adverti. Ex opinione Pythagoreorum loquitur Plutarchus in iis orationibus, quas scripsit pro brutis non occidendis ad usum cibi (6), quibus addi debet longus ejusdem dialogus, cujus titulus, *Bruta animantia ratione uti*, quem Bellarminus (7) dicit per jocum fuisse perscriptum, & probat Noghera (8) observans dialogo finem imponi per hæc verba, *Vide ne improbum sit & violentum, rationem iis adscribere, quæ Dei notitia carent,* idque confirmant quæ in alio ejusdem Plutarchi commentario *De Ei inscripto foribus templi Delphici*, lego, *considerationem & judicium consequentiæ soli homini natura dedit; Esse enim diem, esse lucem sentiunt nimirum & lupi & canes & aves. Quod autem si lux est, dies sit, nullum excepto homine animal intelligit.*

295. Pythagoricis præluserunt Ægyptii teste Herodoto (9), *Primi*, sic ille, *Ægyptii extiterunt, qui dicerent animam hominum esse immortalem, quæ de mortuo corpore subinde in aliud corpus immigraret. Atque ubi per omnia se circumtulisset terrestria marina volucria, rursus in aliquod hominis corpus genitum introire.* Ægyptiis sic errantibus ante Pythagoricos Guerius (10) addit Chaldæos & Indos post Porphyrium, qui in libro tertio *de Abstinentia ab esu animalium*, congerit omnia, quæ potest argumen-

(1) Ovi. Metam. l. 15.
(2) Phi. l. 5. c. 15.
(3) Co. Disc. toscani disc. 8.
(4) Aug. Gene. ad l. t. 7. n. 13.
(5) De Mundo §. 541.
(6) Plut. de Esu carnium orat. 1. & 2.
(7) Bell. lib. arbitr. l. 3. c. 15.
(8) No. Rifl. 5. su la Nat. pag. 46.
(9) Herod. l. 7.
(10) Gu. Anim. delle best. c. 1.

menta, quorum compendium protulit idem Guerius (1), ut suadeat inesse brutis animam rationalem, quam etsi profitetur non attingere perfectionem intelligendi, quæ plerunque observatur in animis hominum, tamen nolit collocari in diverso ab his ordine, quia sicuti hoc non dicimus de animis hominum minus perspicacibus, ita neque de illis brutorum. Quare conculdit injustum esse bruta occidere, eorumque carnibus vesci. Origenes eamdem conclusionem attribuit Celso ex eodem antecedenti de anima in illis etiam rationali: sed non solum ejus antecedens non potest admitti, sed ipso etiam admisso consequentiam negandam esse ostendunt Trevoltiani (2).

296. In veterum numero ponam varios hæreticos: Imprimis Gnosticos, & Manichæos, quos pro vi intellectiva brutorum pugnasse testatur Philastrius, (3) *Est*, inquit, *hæresis, quæ pecudes & serpentes & aves rationabiles arbitratur esse, ut homines, sicuti Manichæi & Gnostici*. Intercedit hoc loco Alphonsus de Castro, qui advertit (4) solum Philastrium commemorare hanc in illis hæresim, non Irenæum illo antiquiorem, nec Augustinum. Fuisse tamen circa ea tempora, qui ita sentirent, colligitur a S. Jo. Chrysostomo, qui ait (5) *hoc semper egit Diabolus, ut ostenderet nostrum genus nihil differre a brutis, quando nonnulli in opinionem tam peregrinam & absurdam venerunt, ut animalia rationis expertia dixerint rationalia*. Quando etiam S. Augustinus refert de Manichæis, quod admiserint metempsychosim limitatam tamen ad solas animas brutorum majorum jam aliquo modo ipsis eamdem hæresim tribuit, cum hæc metempsychosis sit quædam ejusdem consequentia (6) *Credunt*, sic de illis testatur, *hominum animas in belluina corpora posse contrudi . . . . sed negant usque ad minutissima animalia resolvi animas humanas posse, ne tam multarum interfectionum rei teneantur; aut cogantur parcere pediculis & pulicibus & cimicibus, & tantas ab iis molestias sine ulla cædis eorum licentia sustinere*. Non miror tamen Manichæos ita sentire de brutis, quos aliunde scimus ab eodem Augustino & aliis docuisse, (7) *nihil esse animam, quam ipsam Dei substantiam, atque id omnino, quod Deus est, & nullum esse herbæ seu vermiculi genus, ubi eam non esse permixtam, vel quo revolvi non posset*: Miror solum incohærentiam in excipiendis animis brutorum minorum.

297. Sunt tandem qui inter antiquiores adversarios citant Ulpianum Clarissimum Jureconsultum sæculi tertii, propterea quod definierit jus naturale, (8) *Quod natura omnia animalia docuit*; Quare inquiunt, si in bruta cadit jus, quod ibidem dicitur *Ars æqui & boni*, hoc est colle-

S ctio

(1) ibid. vol. 1. c. 3.
(2) Tre. an. 1747. n. 120. p. 2317.
(3) Phi. de Hæref. n. 100.
(4) Cas. adv. hæres. ar. Bestia
(5) Chr. hom. 4. in Act. Apost. sub fin.
(6) Aug. co. Adimant. cap. 12.
(7) Au. Gene. ad lit. l. 7. n. 17.
(8) L. 1. §. 3. ff. de Just. & Jur.

ctio legum seu præceptorum docentium, quid justum sit aut injustum, quid æquum aut iniquum, jam etiam bruta juxta illum prædita sunt intellectu. At hoc non est sufficiens fundamentum tantæ accusationis, cum probet solum hujusmodi definitionem traduci posse tamquam minus opportunam, utpote quæ extendit nomen juris naturæ ad significandum instinctum naturalem, qui etiam bruta inclinat ad vitæ conservationem, speciei propagationem, & media ad hos fines necessaria ponenda materialiter tantum, sive sine prævia consultatione & deliberatione. Quamobrem non pauci definitionem illam rejiciunt, inter quos citatur J. F. Horn, qui integro libro absurda dicitur persequutus, quæ ex ea inferuntur, & illata reapse sunt a præposteris hujus ethnici jureconsulti veneratoribus etiam christianis, quorum aliqua etiam Annales literarii Italiæ (1) commemorant, loquentes *de jure naturæ*. Atque ea rejecta aliam, quæ hominum in hac re institutioni magis conveniat proponunt, cujusmodi est illa Lascaris Guarini (2) *Jus naturæ est inclinatio ad bonum secundum naturam rationalem*. Sed alii eam retinent, quia omnem ipsius abusum dicunt impeditum jam olim fuisse a Glossa, quæ monuit in Institutionibus, ubi iterum hæc definitio habetur (3), eam tum hic, tum in Digestis poni pro instinctu naturæ sensitivæ, atque hunc revera esse sensum Vlpiani propugnat Damianus Romanus in suo de jure naturæ tractatu, qui italice prodit Neapoli anno 1757.

ARTICULUS II.

De recentioribus propositionis adversariis.

298. Venio ad recentiores mihi notos. Hæresim de identitate speciei in anima hominis & bruti renovavit circa annum 1500. Hermannus Riswich Batavus teste Bernardo Luzemburgensi (4). Eamdem Heronymus Cardanus mortuus circa annum 1576. modo quodam sibi proprio tenuit in libris *de subtilitate & varietate rerum*, quippe qui referente Tiraboschio (5) unam statuit esse animam communem hominibus & brutis, quæ tamen in hominibus perfectius agit, quia ipsorum corpora usque ad intimas medulas penetrat, in brutis vero imperfectius, quia horum machinas extrinsecus dumtaxat circumvestit. Eamdem plures amplexos esse suis temporibus insinuat Bossuetus, dum vehementem, & diffusam ipsius impugnationem (6) contexuit. Certe Dalhani (7) accusat ipsi coævum Petrum Baylem de quo alibi (8) dixi, quod aliud agens ausus sit ipsam promovere.

299. Pro-

(1) An. to. 2. l. 1. c 8. n. 2.
(2) La. Jur. nat. di. 1. n. 1.
(3) Inf. de jure nat.
(4) Lu. Cat. hæret.
(5) Ti. Lett. ital to 7. p. 1. l. 2. c. 2. n. 19
(6) Bo. Connoiss. de Dieu. c. 5.
(7) Da. Pycho. n. 139.
(8) De Malo n. 105. edit. 2.

299. Pro eadem citantur Laurentius Valla, & Michael Montagne, quorum primus in sua Dialectica (1) serio usum rationis dicitur in brutis propugnare: secundus autem teste Bibliotheca Britannica (2), & confirmante Malebranchio, (3) *hominibus succenset, quod se a brutis distinguant, quibus nec ratione nec ratiocinio nec mente præstamus, sed oris forma, colore renidenti, egregiaque membrorum dispositione*. His consonantem describit & impugnat Fortunatus a Brixia Auctorem commentarii *de Anima brutorum secundum sanioris philosophiæ canones vindicata*; Nam refert (4) ipsum ita admittere animas brutorum cognoscere solum materialia, ut censeat hanc limitationem non esse iisdem intrinsecam. Eamdem reprehendit in libello Jo. Jacobi Rosseavii, *de Origine inæqualitatis hominum*, qui quadragesimam octavam ex literis criticis scripsit, quarum compendium dant Trevoltiani (5), enunciantes (6) earum auctorem esse Gauchatum.

300. Eisdem quis neget subscribere Carolum Bonnetum Philosophum Genevensem, qui apud Diarium Literatorum Pisanum (7) commentus est fore ut in futura rerum conversione, de qua agit in sua *Palingenesia philosophica*, talem acquirant animæ brutorum evolutionem organorum corpusculi, cui a prima rerum creatione vult inseparabiliter & in sempiternum conjunctas fuisse, ut inter Simias & Elephantos possint tandem existere novi Neutoni & Leibnitii, & inter Castores novi Bonarrotæ & Vignolæ. Cum S. Augustinus (8) contrariam sacræ Scripturæ ostenderit Palingenesiam Empedoclis, quæ ceteroqui nullum ex brutis dixit hominem olim futurum, mirum est christianum philosophum eamdem non solum renovasse, sed nova contra omnem philosophiam absurditate cumulasse. Empedocles enim statuit palingenesiam, hoc est novam earumdem rerum generationem fore in hac rerum universitate, quoties cæli ad idem omnes punctum rediissent, prout credidit post certam annorum seriem eventurum, quia cum cælos cælestiaque corpora putaret esse caussas efficientes rerum omnium hujus mundi, easque necessarias, non poterant hujusmodi caussæ nisi eosdem effectus producere.

301. Audacius & distinctius hunc ex dictis (n. 292.) antiquum errorem proposuit Helvetius in fumoso libro *De Spiritu*. Iis quæ de hoc homine, ejusque libro alibi (9) dixi hic addam ipsum juxta publicos nuncios obiisse 26. Decemb. anni 1771, cum esset rei quæstoriæ administer generalis in Gallia: ejus vero librum statim damnatum fuisse a sacra Facultate Parisiensi, quæ de hac damnatione meminit (10) in alia quam anno 1781. tulit contra historiam Raynalii. Constat liber gallice

(1) Va. Dial. c. 9.
(2) Bi. to. 16. p. 1. ar. 6.
(3) Ma. Inqu. veri. p. 3. l. 2. c. 5. sub fin.
(4) Bri. Phys. partic. n. 4446.
(5) Tre. an. 1757. ar. 93.
(6) Ibid. ar. 120. pag. 3036.
(7) Gior. an. 1771. ar. 2. pag. 47.
(8) Au. de civi. l. 12. c. 13.
(9) de Mundo nu. & pag. 124.
(10) Cens. de Raynal. n. 55.

lice scriptus sexcentis & amplius paginis in quarto ut ajunt, & Parisiis impressus fuit anno 1758, non sine privilegio, quod deinde ex decreto Consilii revocatum fuit, extorto, ut par est credere, ex approbationibus bona fide causa ignota factis vel etiam confictis; Nam legitur in monumentis Trevoltianis (1) aperta declaratio P. Berthierii, qua profitetur se non solum non approbasse ad typos hunc librum, sicuti vulgatus fuerat, sed ne ipsum quidem unquam vidisse nisi editum, nec umquam ejus auctorem fuisse alloquutum, aut epistolam ad eum dedisse. In hoc igitur libro confidenter Helvetius contendit animas brutorum intrinsece non differre ab animis hominum, sed ex sola constructione corporis humani diversa ab illa brutorum repetendam esse omnem differentiam, quæ observatur in horum cognitionibus & operationibus: quemadmodum ex sola imperfectione corporis, quæ est in infantibus & pueris & stupidis nascitur, quod hi nullas exhibeant operationes, quæ superent illas brutorum.

302. Hoc argumentum nuper approbavit Gulielmus Tomas Raynal apud prædictam ipsius censuram. Nominavi hominem olim catholicum, religiosum, & sacerdotem, postea Deistam & religionis christianæ inimicum furiosissimum, qui cum multos vulgaverit libros reprehensos de falsitate & iniquitate, ut videre est in uno ex his, quem refert *Specimen externæ literaturæ* (2), illum tandem Genevæ publicavit gallice anno 1580. *de Historia philosophica & politica de possessionibus & commercio Europæorum in utraque India*, contra quem eodem anno italice typis Venetis Joannes Nuix edidit *Animadversiones de humanitate Hispanorum in Indiis contra malos philosophos & politicos ad melius cognoscendam historiam Raynalii*, valde laudatas ab Ephemeridibus Liter. Roman. (3), in quibus ait, eam falso inscribi *historiam philosophicam & politicam*, quia sublatis falsitatibus & episodiis, quod superest, paucis versibus concluditur, & nihil in toto opere est philosophiæ, & nihil politicæ, nisi sumendo philosophiam pro irreligione, & politicam pro detestatione omnis dominatus.

303. Verissime hæc contra ipsam dicta fuisse planum factum fuit anno proximo 1781. 25. Maii, qua die Magistratus Parisiensis jussit hanc historiam manu carnificis palam lacerari & comburi tamquam impiam, seditiosam, & fundamenta omnis ordinis civilis convellentem, ipsiusque auctorem debitis devovit poenis, a quibus fuga se surripuit, & Facultas deinde theologica mense Augusti ejusdem anni suam publicavit censuram, qua hoc *opus proscripsit tamquam exitiosissimum, & quo vix alind detestabilius edi possit adversus religionem & patriam*. Nihilominus quoniam nitimur in vetitum italice reddita deinde fuit hæc historia

(1) Tre. an. 1759. ar. 24. in fine.
(2) Sagg. 10. 2. ar. 19.
(3) Esc. ann. 1780. n. 29.

storia & typis impressa, sublatis tamen quæ manifestam impietatem & impudentem falsitatem, & furiosam seditionem continebant. Chaumeixius eumdem errorem exprobat Dalembertio, propterea quod apud eum legit se non videre, cur Deus non dederit immortalitat m brutis (n. 192.) postquam *iis indidit principium simile illi, quod in nobis est*, quæ verba fortasse habet in suo gallico opusculo elementorum philosophiæ, quæ non sunt in ejusdem italica versione & editione Lucensi anni 1760, quæ in numero sexto omisit plures lineas, quæ pertinent ad animas brutorum, monens non potuisse justis de caussis transcribi.

304. Idem Chaumeix vehementer irascitur contra alios encyclopædistas nescio quos, quasi subscripserint Helvetio, quem fuse (1) impugnavit. Huic equidem accusationi non credidi, donec vidi eam fundari in eo, quod ipsi dicant (2) *nos debere omnes nostras cognitiones nostris sensationibus, & errasse sine dubio Cartesium, qui aliter opinatus fuit*; Nam hæc verba poterant dumtaxat significare, quod cognitiones nostræ dependeant vel proxime vel remote a nostris sensationibus, quod est verum ex alibi (3) dictis: vel potius quod nullæ sint in nobis cognitiones innatæ, quales Cartesius admisit, quod pariter vere dicitur. At postquam idem Auctor inferius proponit Encyclopædistas ex professo docentes omnes hominis cognitiones esse sensationes, & has esse dumtaxat motus passivos, & objicentibus apparere in affirmationibus negationibus & argumentationibus, actionem spiritus intelligentis, & non meram passionem entis sentientis, reponere (4) *ita nos loqui ex falsis notionibus ex Logica scholastica haustis, quibus decipimur*: jam si vera hæc sunt, ita pares faciunt nostras animas illis brutorum, ut utrasque de medio tollant, eas in ipsa materia constituentes per infamem Materialismi professionem, a qua accusatione iisdem ab aliis intentata ipsi viderint, quomodo se liberent.

305. Qui audiat Condillacum expresse tribuere brutis (5) intellectum & voluntatem, credet inter adversarios numerandum. Sed totus contextus planum facit accusari non posse nisi de abusu hujusmodi nominum; Nam loquens de brutis ipsorum sensum limitat ad cognitiones & appetitiones eorum dumtaxat, quæ satisfaciant indigentiis, quas experiuntur pro conservatione suæ vitæ, affirmatque eorum animas esse diversæ naturæ ab animis hominum, & ordinis inferioris, utpote quæ aliam operandi regulam non sequuntur nisi vim suam, non legem ullam, quam ne cognoscere quidem possunt. Quare nec meritum nec demeritum incurrunt. Scopus igitur illius est in usu illorum nominum declarare se cum iis sentire, qui speciem quamdam rationis & ratiocinii in bru-

(1) Ch. Exam. del esprit to. 3. prejug. l. 1. c. 2.
(2) Id. ibid. l. 2. sec. 1. c. 6.
(3) De Ideis n. 2. 495. edit. 2.
(4) Cha. ibid. c. 6. ar. 5. §. 1
(5) Con. des Animaux P. 2. c. 10.

brutis admittunt, quos infra ostendam esse permultos, ad quorum numerum siquis velit aliquos ex addictis adversariis pertinere, homini tamquam de nostra propositione benemerenti cedam libentissime.

306. Eodem modo crediderim defendi posse Christianum Wolfium, quando pro anima immateriali brutorum dixit, *bruta cogitant, ergo immateriales sunt eorum animæ*. Quod ansam dedit Juliano Poncio (n. 148.) ipsum in album adversariorum recensendi (1) quia cogitatio est opus intellectus. At hæc ratio nullius momenti est, postquam multi cum Cartesio abusi sunt nomine cogitationis, pro illo cognitionis, de quo abusu unice fortasse Wolfius poterit accusari. Alii viderint, quam verum sit, quod idem Poncius in sua contra Neutonum epistola, seu potius philippica sic habet, (2) *Neutonus brutis se similem credidit; interdicit enim se, interdixitque homines universos carne belluina, tamquam anthropophagos damnamus, si ea vescantur ob affinitatem inquiebat*, nullo tamen citato loco, *quæ belluas hominemque interest*.

307. Qui tandem legat in Linnæo (3) homines constitui in classe quadrupedum, exclamabit cum Daubentonio (4) approbantibus Trevoltianis, (5) *O iniqua animalium distributio! o falsa methodus, quæ locum homini inter bruta assignat!* & credet Linnæum etiam existimare animas brutorum essentialiter a nostris non differre. Sed mihi quidem illegitima videtur hæc couclusio. Sicuti enim qui in numero bipedum ponit homines, non creditur significare eos esse ejusdem generis cum Gallis gallinaceis, ita neque ex eo, quod Linnæus quadrupedum locum hominibus assignaverit, credendus est ipsos ad genus armentorum revocare. Quæ potuit esse caussa, cur Klein, qui multa disseruit de systemate Zoologico Linnæi, ne verbum quidem dixerit contra attributum quadrupedum datum homini. Restat igitur ut admiremur duntaxat absurditatem potius quam novitatem confundendi manus cum pedibus, propterea quod homo, dum natat, ad se movendum manibus utitur non secus ac pedibus, quæ est una ex rationibus, quas Linnæus in ea distritione sequutus est.

ARTICULUS III.

Argumenta generalia pro propositione.

308. I. ANima brutorum caret intellectu, qui est nota nobis ex experientia facultas efficiendi ideas, quæ proxime non dependent ab impressionibus materialibus factis in organis sensoriis, cuju-

(1) Po. Cunico philos. epi. 19.
(2) Po. ibid. ep. 15.
(3) Li. Syst. nat. regn. anim. clas. 1.
(4) Dau. Hist. nat. to. 4. p. 163.
(5) Tre. an. 1754. ar. 127. p. 2590.

jusmodi sunt sensationes, sed occasione sensationum ipsa anima sibi effingit, & brevi dicuntur ideæ abstractæ: ergo animæ brutorum sunt ordinis inferioris anima hominis. Antecedens extra controversiam ponunt Sacra Scriptura & Patres & permultæ rationes: quibus tamen omnibus infra opportunius dicam. Hic solum advertam, Scripturam de solo homine dicere ipsum factum esse (1) *ad imaginem & similitudinem Dei*: & Evangelium ut advertit Beda (2) narrans *pro unius hominis salute duo milla porcorum suffocata*, quando Christus J. in regione Gerasenorum permisit ut in eos ingrederentur dæmonia, quæ ab uno ejecit dæmoniaco (3) cogit *erubescere Manichæum, qui hominum & bestiarum unam dicit esse substantiam*.

309. II. Bruta sunt evidenter exclusa a percipiendis quibusvis disciplinis & artibus, Dialectica Ethica Metaphysica Architectura Mechanica Politica Oeconomica & aliis: quia scilicet nulla ex his acquiritur sine vi cognoscendi & cogitandi alia præter sensibilia. Requirunt enim abstractas cogitationes bene multas, earum inter se comparationem & recordationem studiose conquisitam, perspicaciam in æstimando merito singularum cognitionum, quæ acquiruntur, aptam earumdem dispositionem, prout opus est ad certitudinem de illis acquirendam, laborem demum non mediocrem, qui ne toleratur quidem ab homine, qui persuasus non sit de magnitudine vel bonitatis vel utilitatis ipsius scientiæ vel artis. Hoc argumentum copiose expendunt Bossuetus (4), & Noghera (5). Idem confirmatur ex eo, quod stultiloquus haberetur, qui diceret, sicuti adversarii dicant necesse est, libros Euclidis, Neutoni, aut alterius cujuscunque Doctoris, sive Philosophi sive Theologi non esse effectus mentis supra omne sensibile se erigentis, sed unice provenire ex sensationibus quibusdam, & mere passivis impressionibus, quæ ideo non cadunt in brutum, quia habet pellem duram aut teneram, profundam aut subtilem, pilosam aut glabram: vel habet cornua, vel crassas ungulas, vel diversam in multis partibus tam internis quam externis organizationem ab illa, quæ est in homine.

310. III. Bruta carent cognitionibus de rebus æternis, quas anima hominis teste cujuscunque conscientia sibi efficit: ergo hominum anima perfectior est animis brutorum. Antecedens probatur, quia nullum brutum adhuc vidimus ne sollicitum quidem ejus futuri, quo ipsiusmet vita solet pervenire, nullum pavidum de morbis infortuniis morte, quæ supervenire sibi possint, nullum cum actu his angitur, spe melioris in posterum sortis consolari. Aliqua quidem congregant per æstatem aut autumnum cibaria, quibus aliis tempestatibus sustententur, non tamen con-

(1) Gen. c. 1. v. 26.
(2) Be. in Matth. c. 8.
(3) Mar. c. 5. v. 13.
(4) Bo Conn. de Dieu c. 5.
(5) No. Rifl. 5. su la Nat. pag. 33.

consulto id faciunt, sed per determinationem sibi divinitus ingenitam. Alia etiam transmigrant repente ex uno loco in alium, quasi prævide-rint tempestatem, quam opportune velint effugere: revera tamen ut liberent se a molesta sensatione, quam experiuntur ex nimia aeris condensatione vel raritate, siccitate vel humiditate, vel aliis sibi noxiis vaporibus, quæ procellam præparant & inchoant.

311. IV. Bruta non habent cognitionem de rebus spiritualibus: ergo eorum animæ imperfectiores sunt humanis. Antecedens credidit esse sine controversia S. Bernardus, dum interrogativo modo dixit: (1) *Nunquid irrationalis spiritus per corporalia & sensibilia, quæ per corpus sentit, etiam ad spiritualia & intelligibilia proficiendo pertingit?* Idem de omnibus universaliter hujusmodi ideis concluditur, postquam observatum est nullum brutum habere cognitionem Dei. Homo, non semel Plato dixit, (2) *solus jus ac Deos animadvertit*: & Tullius similiter, (3) *ex tot generibus nullum est animal præter hominem, quod habeat notitiam Dei*. Etsi enim cognitio Dei vel minima superet cognitiones aliarum rerum spiritualium, nihilominus eam facilius cæteris acquiri plane demonstrat genus humanum, in quo ipsi pueri & bardi eam manifestant: at in brutis nullum adhuc ejusdem indicium quisquam agnovit, ut non immerito Lactantius supra (n. 149.) adductus carentiam cognitionis Dei in brutis voluerit esse demonstrationem ipsorum irrationalitatis: & tamquam fatui aut vanidici habeantur Ethnici citati a Guerio (4), qui contrarium affirmarunt vel crediderunt, ut Juba quidam, de quo refert Plutarchus, quod videns elephantos mane extollere proboscidem, eos dixit (5) *Diis vota facere, solemque orientem adorare proboscide manus loci sursum erecta*. Veritate antecedentis demonstrata nihil clarius consequentia.

312. V. Cum Noghera (6) arguitur. Bruta nunquem præseferunt appetitum scientiæ gloriæ honestatis, majoris in se perfectionis, immortalitatis: nunquam ostendunt dolorem de errore, horrorem de infamia de turpitudine de paupertate: nunquam proferunt desideria de felicitate pro tempore futuro, & cum habent actu bona sensibilia, cibum & potum, quietem aut motum aut aliud voluptatis genus sibi pro certis circumstantiis proportionatum, eo alacriter fruuntur, quin perturbentur desiderio majoris ejusdem copiæ, aut sollicitudine de illius in posterum pari abundantia: ergo animæ brutorum sunt longe imperfectiores animis hominum, in quibus ita omnes hujusmodi appetitus aliique inveniuntur, ut nullum iisdem terminum sentiamus constitutum (n. 223.)

313. VI. Est

(1) Ber. in Cantic. ser. 5.
(2) Pl. in Protag. & Menexeno.
(3) Tu. de Legibus.
(4) Gu. Anim. d. best. vol. 2. c. 1. §. Religione degli animali.
(5) Plu. Terestiane an aquatilia.
(6) No. Rifl. 7. su la Nat. pag. 73.

313. VI. Est receptum axioma, Deum & Naturam nihil facere frustra: ergo brutorum animæ factæ non sunt ejusdem ordinis cum nostris, sed inferioris. Probatur consequentia, quia ipsis fatentibus adversariis brutales animæ nunquam non solum devenerunt, sed ne devenire quidem possunt ex defectu aptæ organizationis corporis, cui conjunguntur, ad ea efficienda, quæ sunt effectus vis animæ tam perfectæ, quam est in homine: ergo si esset in brutis hujusmodi vis animæ, frustra esset.

314. VII. Nullum brutum exercet dominium non modo in homines, sed ne in alia quidem bruta sibi similia vel dissimilia. Quis enim, dicam cum Noghera (1), umquam vidit Leones ad faciliorem motum insidere equis, aut tigres ad sui custodiam uti canibus, aut aquilas ad sibi venandum adhibere vultures? Contra vero homo dominium exercet in quodvis brutum. Quotidie enim videmus ipsos etiam pueros dirigere non solum imbelles ovium & caprarum greges, sed etiam equorum taurorum bubalorum armenta, uti pro imperio sagacibus canibus, & robustis elephantis, superbiam leonum deprimere, ferarum omnium ferociam domare, balenas ipsas, quæ quasi animatæ naves per Oceanum vagantur, sibi subjicere. (2) *Videbatur*, inquit S. Ambrosius, *elephanto nihil procerius, nihil sævius tigride, nihil horribilius leone, & tamen hæc serviunt homini, & naturam suam humana institutione deponunt: obliviscuntur quod nata sunt, induunt quod jubentur. Quid multa? docentur ut parvuli, adjuvantur ut infirmi, verberantur ut timidi, serviunt ut famuli, corriguntur ut subditi, in mores abeunt nostros, quoniam motus proprios perdiderunt.* Ipsæ aves, aquilæ & falcones, etiam cum altiores atmosphæræ regiones nactæ sunt, quo homo nequit nec per se nec per arma a se inventa ascendere, ipsius dominium reverentur, quoniam illuc ex ejus nutu excurrunt venatum, & ad ipsum cum præda fideliter redeunt.

315. Quam belle hoc Aloysius Alamanni sic expressit (3):

Il gran Re degli uccei, che l'arme porta
Dal fabbro Sicilian su in Cielo a Giove,
E gli altri suoi minor, ch' adunco il piede
Han simigliante a lui, che d'altrui sangue
Pascon la vita lor, non veggiam noi
Dall' alto ing gno uman condotti a tale,
Che si fan spesso l' uom Signore e Duce?

Ergo bruta sunt animalia ordinis longe inferioris homine. Nec sit, qui objiciat dominium hominis in hominem non concludere alterum esse naturæ superioris altero: ergo neque dominium hominis in equos boves & bruta arguere hæc esse ordinis inferioris homine. Nam latum est discrimen inter utrumque. Dominium hominis in hominem est dominium

T

(1) No. R fl. 2. su la Nat. pag. 9. (3) Ala. Coltivaz. l. 4.
(2) Am. Hexam. l. 6.

nium in eum, qui novit non solum obedire, sed etiam imperare: at dominium in bruta est dominium in ea, quæ nulli possunt imperare, & ita obediunt, ut nesciant se obedire.

ARTICULUS IV.

Argumenta particularia contra Helvetium.

316. Falsum est animas brutorum ex extrinsecis dumtaxat impedimentis apparere ordinis inferioris animis nostris, quemadmodum Helvetius censuit: ergo apparent ordinis inferioris, quia tales sunt intrinsece. Ans probatur percurrendo rationes, quas pro sua assumptione adversarius adducit.

Prima est, quia bruta carent manibus, in quibus residet tactus perfectior, eamque urget Raynal qui regem animalium dixit hominem propter majorem organorum suorum perfectionem, cujus manus utpote insignis dexteritatis ejusdem sceptrum appellavit. At imprimis in hypothesi necessitatis manuum ad exercitium rationis, ex hoc ipso quod hæ negatæ sint brutis, concluditur habere animas ordinis inferioris nostris, quippe expertes ratione; (1) *Natura* enim, inquit Aristoteles, hoc est Deus creator sapientissimus *tamquam prudens homo facere solet, ei qui uti potest, semper tribuit.* Deinde aliqua bruta habent alios sensus etiam magis principales, ut visus & auditus, longe nostris perfectiores:

Nos Aper auditu, Linx visu, simia gustu,
Vultur odoratu, præcedit Aranea tactu.

Quare sicuti manuum defectus impedit illa, ne exerceant artes fabriles, ita aliorum sensuum major perfectio deberet eadem urgere ad acquirendam aliquam scientiam, quæ manu non indiget.

317. Quid quod simii & ursi habent manus, attamen quia carent ratione, nullus illorum fuit unquam nec agricola nec architectus, nec alia disciplina excultus. Hanc rationem non habuit præ oculis Arnobius, dum dixit, (2) *Si ministras manus brutis etiam donare parens natura voluisset, dubitabile non foret, quin & ipsa construerent mœnium alta fastigia, & artificiosa excuderent novitate.* Ac de simiis quidem sunt, qui narrent visos aliquando, prout sunt imitatores eorum, quæ vident fieri ab homine, tractare instrumenta textoria, & latrunculos etiam movere, quin tamen unquam revera telam ullam contexuerint, nec juxta regulas artis ludum exercuerint. Memini enim Bussierium, & Guerium (3) cum aliis, quos citat, irridere illos, qui quasi spectatores conse-

(1) Ar. de part. animal. l. 4. c. 10.
(2) Ar. adv. gent. l. 2.
(3) Gu. Ani. delle best. vol. 2. c. 1.

confederint eidem tabulæ cum fimiis, dixerunt veros ludos lusisse: & memini etiam de fimio, qui volens imitari tonsorem, quem fibi barbam radere observaverat, guttur fibimet diffecuit. Hoc unum eft inter fimias tam majores quam minores, quarum numerofæ turmæ vel familiæ inveniuntur in Cafrorum regione, & huic finitima Zanguebaria, nullæ unquam inventæ funt artes, nulla artificia.

318. Helvetius quidem reponit caufam hujus etiam in fimiis perpetuæ ftupiditatis & ignorantiæ effe, ipfos frugibus vefci, minus homine robuftos effe, continuo gaudere motu, & alias proprietates habere, ac habeant homines. Sed hæc refponfio, utpote folum defcribens fimios, fubjectum objectionis, hanc intactam relinquit, & opportuna eft ad intelligendum manus inutiles effe brutis, quia non habent mentem. Hæ enim, inquit Lactantius, funt (1) *rationis ac fapientiæ miniftræ*, quod magis poft Ariftotelem (2) explicant Paulus Segneri (3), & Daniel Bartoli contra Epicureos, quos alibi (4) impugnavi, & Anaxagoram, qui vifus eft docere, mentem effe manuum miniftram, quoniam traditam hanc a natura dixit homini in gratiam manuum. Sed (5) *quoniam mens ordinat tamquam inventrix, manus exequitur tamquam faber, non ideo homo eft rationalis, quia habet manus, fed ideo has habet, quia rationalis eft.*

319. Tandem fi bruta prædita effent vi intelligendi, etiamfi a manibus non fint comparata, hanc nihilominus aliquando vel aliquo faltem modo manifeftarent, ficut non raro videmus fieri ab hominibus, qui vel carentes manibus, vel nolentes iis uti ad exercitium fuæ libertatis ingeniofe alia via fupplent ipfa manuum difficiliora etiam munia. Teftem appello Jo. Baptiftam Defcamps (6), & Peregrinum Orlandum (7) qui referunt Cornelium Kettel Belgam effeciffe imaginem tractando penicillos pedum digitis, & alias utendo pro penicillis ipfifmet digitis. Ipfemet Romæ vidi per Octobrem anni 1782. Francifcum Zechnichi Panormitanum annorum circiter quadraginta, qui pumilio erat, quia crura & tibias habebat breviffima & informia, capite ceteroquin & trunco optime comformatus, & ita robuftus, ut ftringens dentibus caput fedeculæ, quæ ex paleis funt in ufu communi, hujus pedes cæium furfus elevando converteret, hominemque fuftineret vel fupra truncum brachii horizontaliter protenfi, vel fupra ventrem jacens ipfe cum humeris fupra unam fedeculam, & cum fuis pedibus vel potius pedum rudimentis fupra aliam. Hic carebat utraque manu, & brachii quidem dexteri habebat folum principium ad duos vel tres digitos extenfum, fini-

(1) La. de Opif. c. 10.
(2) Ari. part. animal. l 4. c. 10.
(3) Seg. Incredulo par. 1. c. 15. n. 5.
(4) De Mundo num. 108.
(5) Bar. Ricr. del Savio l. 1. c. 15.
(6) De. Vie des peintres
(7) Or. Abeced. pittor.

finistrum autem justo brevius, & desinens in quoddam quasi compendium cubiti & manus, in qua specimen duorum digitorum invicem connexorum apparebat. Nihilominus hoc ille brachio simul cum ore expedite utebatur ad exercitium plurimarum artium, in quibus non vulgariter eruditum se prodidit. Ponebas acum cum filo in tabula, ore acum sumebat, eique supra vestem sui brachii aptatæ filum per os pariter collectum iniiciebat, nodoque etiam extremitatem fili ope linguæ muniebat. Ore pariter volvens terebram lignum perforabat ad suscipiendum clavum, quem deinde ipsi infigebat ope mallei, quem dentibus stringebat, & motu capitis prout opus erat agitabat. Tenens pariter dentibus scalpellum librarium, digitisque illis suis immotum reddens supra scannum, eo vel novum calamum, vel rudem hæmatitem admirabili celeritate ad munus cuique proprium conformabat. Fuit tunc qui petiit ut supra mundam chartam delinearet florem, rosamque brevi perfecit cum suo cauliculo frondibus ornato, in eaque calamo scripsit *delineavit ore*, quo utrumque instrumentum non secus ac nos manu dextere tractabat, sicuti etiam penicillos, quibus delineatos antea hæmatite diversos flores, suis singulos coloribus distinxit, cumque jussus fuerit ibidem scribere pinxit, ipse scripsit pinzzit, qua ratione cognovi linguæ latinæ fuisse ignarum. Artem quoque digladiandi tenebat, quam cum æmulo omni quæ requiritur agilitate exercuit, postquam ipsius brachio firmiter ensis fuit ligatus. Bellica etiam tormenta ex minoribus, sed non ex minimis prompte tractabat. Suis ille digitis foci tegmen deprimebat, postquam elevaverat ad pulverem nitratum in eo infundendum e sacculo qui illum continebat dentibus aperto & opportune converso; tum tormentum juxta se in directum ponebat, sumptaque dentibus virga eam e suo loculamento extrahebat: deinde immissum in ejus tubo post pulverem globum chartaceum omnia ope pariter oris & dentium per virgam comprimebat; tum erectum tormentum & dextero humero applicatum, brachioque sinistro impositum incendebat. Peritiam quoque musices ostendit, difficillimam modulans ad sonum instrumenti cantiunculam. Igitur defectus manuum in brutis non est ratio, cur irrationalia constanter appareant.

320. Secunda Helvetii ratio apud Massarium (1) est ea, quam alii jam olim dicuntur (n. 292.) attulisse, scilicet non esse in brutis linguam aptam ad loquutionem artificialem, quæ postulat voces articulatas. Sed cui statim non veniant in mentem surdi & muti a nativitate, in quorum operationibus videmus semper homines anima præditos rationali, & aliquando ingenio etiam singulari instructos admiramur: & tot animalia de genere præsertim avium, quæ brutam animam in

(1) Ma. Relig. nat. n. 322

in tota vivendi ratione perpetuo ostendunt, etiamsi passim industria vel mediocri audimus distincte verba artificialia proferre. De pica sine ulla hyperbole Martialis cecinit (1)

Pica loquax, certa dominum te voce saluto,
Si me non videas, esse negabis avem.

Vulgares etiam homines apud nos in urbibus commorantes norunt psittacos distincte nostra vocabula recitare. Sturnos ac luscinias *græco & latino sermone dociles* (2) Plinius commemorat. De sturno germanica verba pronunciante, & de corvo latina supra (n. 43.) jam memini. Calandram etiam loquacem (3) Kircherus audisse se testatur. In genere quadrupedum canibus, qui plura gallica vocabula Leibnitio auctore (n. 43.) repetebant, adde illos, quos in Saxonia refert Wolfius (4) germanica etiam bene pronunciasse. Igitur cum verum universim non sit bruta non habere linguam aptam ad hominum loquelam, quod ea universim nullam unquam linguam apprehendant, nascitur ex carentia intellectus, sine quo nullæ haberi possunt perceptiones distinctæ, & multo minus illæ de bono & malo morali. Quare jure laudatur illud Aristotelis pronunciatum, Deus brutis dedit vocem (5) *ut sensum jucundi & molesti inter se significare possent: At sermo ad hoc datus est nobis, ut ostendamus justum & injustum.*

321. Tertia ratio est, quia bruta non afficiuntur tot rerum cupiditatibus, quæ sunt cos artis & scientiæ, quandoquidem natura quantum satis est ad vitam tuendam dedit vestes & arma, & ad eam sustentandam cibaria singulis propalam exposuit. At imprimis cupiditates in iis, qui possunt cogitare, nascuntur ex animadversione ad incommoda, quæ patiuntur: Ex his autem perquam multa obsident omne brutorum genus, propterea tanta eorum pars ante tempus perit. Igitur cum ab his non caveant, bene hinc arguitur eorum impotentia ad cogitandum. Deinde quoniam desiderium rei alicujus non est ante illius cognitionem, sed hanc supponit præcessisse, ex eo quod bruta minus sint cupida hominibus, iterum infertur minus illis cognoscere. Igitur hæc ratio non est argumentum pro anima brutorum ejusdem ordinis cum nostra, sed pro contraria sententia. Atque propter hanc ipsam caussam, quod bruta imparata sint ad habendas multas cognitiones, & generaliter ad excogitandum, provisa sunt a Deo creatore necessariis ad vitam vestibus cibis & armis. Ex quo fit ut quisque videat jure affirmari, ideo bruta esse naturaliter vestita & armata, quia carent facultate cogitandi: & rursus insipienter dici, ideo bruta non exercent facultatem cogitandi, sive

(1) Ma. l. 14. epi. 74.
(2) Pl. Hist. l. 10. c. 42.
(3) Kir. Musur. l. 1. c. 4. n. 5.
(4) Wo Psycho. rat. n. 759.
(5) Ar. Polit. 3. c. 2.

five carent multis cognitionibus, quas nos habemus, quia sunt naturaliter vestita & armata, quod dicit Helvetius.

322. Quarta ratio est, quia vita brevior contigit brutis, quam hominibus. At cervi corvi elephanti serpentes sunt vivaciores homine: nihilo tamen minus perseverant in nativa tum ignorantia tum stupiditate, & impotentia minuendi aut tollendi hujusmodi vitia & imperfectiones. Praeterea magna hominum pars nondum e pueritia evasit, jamque scholas aliquas habere potest canendi sonandi, & aliarum graviorum disciplinarum, easque ita apprehendere, ut non pauci excellentes etiam evadant.

323. Quinta est, quia bruta subacta sunt ab hominibus, qui armis, quae sibi excuderunt, terrorem sui incusserunt bestiis etiam se validioribus. At hinc infertur solum, ergo homines superant vi cognoscendi bestias omnes etiam robustissimas. Quod plusquam evidens est, cum (n. 314.) videamus homines etiam rudiores & ipsos pueros, qui ultimum ut ita dicam gradum rationis exercent, dominari bestiis, easque pro libito dirigere. Quare iterum Helvetius imprudens se ipse impugnat.

324. Sexta est, quia bruta & particulares horum species deficiunt in numero ab hominibus: At imprimis hoc non est universaliter verum. Deinde sicuti ex hoc antecedenti, in hac insula aut loco rari semper fuerunt homines, non infertur, ergo nullam habent artem nec cognitiones supra illas, quas in brutis videmus, haec enim consequentia nunquam vera invenitur: ita nunquam accidit, ut in aliqua insula vel loco visae fuerint numerosae turmae simiorum vel aliorum pecorum minus stupidae sibi similibus, quae alibi sunt minus frequentes.

325. Brevi omnes Helvetii rationes sic dissipantur. Non potest dici Deum creatorem sapientissimum non dedisse brutis corpus & modum vivendi animae eisdem inditae accomodatum: ergo quoniam ipsomet adversario farente, quod caeteroquin est evidens, Deus non dedit brutis corpus & modum vivendi animae rationali accomodatum, ne dedit quidem animam rationalem.



PRO.

PROPOSITIO IX.

Anima brutorum non habet intellectum.

ARTICULUS I.

Argumenta pro propositione.

326. ÆC propositio definit quanam ex parte anima brutorum sit certe longe imperfectior anima hominis. Eam placuit distinctim statuere ut detur locus observandi argumenta quæ illius veritatem demonstrant, adeoque præcedentem propositionem confirmant, & examinandi, quæ obiiciunt adversarii, in quibus nuper extitit Aumeur in *epistolis philosophicis de anima brutorum* gallice editis Parisiis anno 1781, qui prout lego apud Ephemerides Liter. Roman. (1) contendit brutorum animam esse intelligentem, quin hæc opinio dici possit sacræ Scripturæ, & Patribus opponi.

327. I. Itaque sic arguo. Sacra Scriptura aperte negat brutis intellectum, (2) *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*, quod est testimonium clarissimum adhibitum etiam a S. Augustino in hac ipsa re (3). Huic simile est, quod alibi dicuntur (4) *Irrationabilia pecora*, & jumenta insipientia, (5) *Comparatus est jumentis insipientibus*. In quæ loca habendus est præ oculis canon, quem Interpretes S. Scripturæ, ut Cornelius a Lapide (6) statuunt, scilicet propositiones Scripturæ, quæ quid negant nulla apposita conditione, universaliter sumendas esse. Huc spectat illud Apostoli, (7) *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, & non potest intelligere*,

328. Præterea Patrum, Theologorum, Philosophorum, communis tandem sensus est, inquit Suarez (8), bruta carere intellectu. Ex Patribus audiatur iterum S. Augustinus, (9) *Corpus nos habere manifestum est, & vitam quamdam qua corpus animatur, quæ duo etiam in bestiis agnoscimus, & tertium quiddam quasi animæ nostræ oculum, rationem atque intelligentiam, quam non habet natura bestiarum*: Similia habet in

(1) Ef. ann. 1781. n. 24. ar. Parigi
(2) Psal. 31.
(3) Aug. in Psal. 148. n. 3.
(4) Petr. 2. c. 2. v. 12.
(5) Psal. 48.
(6) Ia in Epi Paul. can. 7. ante Comm.
(7) 1. ad Corin. 2. 14.
(8) Su. Metaph. di. 23. se. ult. n. 12.
(9) Au. de lib. arbit. l. 2. c. 3.

in libris *de Civitate Dei* jam alias (n. 16.) descripta. Et alibi (1) *Bruta carent ratione, quæ mentis semper est propria*. Ex Theologis præter S. Thomam eorum ducem supra (n. 65.) citatum, Lessius ait, (2) *Tota brutorum notitia limitata est ad ea, quæ ad pastum & venerea pertinent, vel naturæ eorum sunt amica aut inimica*. Ex Philosophis Tullius statuit (3) *belluam tantum quantum sensu moveri ad id solum, quod adest, quodque præsens est, se accomodare*. Vulgus tandem belluam appellat, quem velit significare, quod sit stupidus aut hebes aut ferus aut aliter sine ratione se gerens: De qua communi metaphora testes sunt nostræ aures, & Terentii comœdiæ, ac Ciceronis actiones in Verrem & Pisonem.

329. II. Proponitur argumentum negativum sic. Recta ratio philosophandi postulat, ut ea solum in rebus admittantur attributa, quorum saltem sufficiens habetur fundamentum aut indicium; Neque enim ex eo, quod alicui substantiæ convenit aliquod attributum inferioris ordinis, ut esse capacem cognoscendi objecta materialia & sensibilia, debet etiam convenire aliud perfectioris ordinis, ut esse capacem cognoscendi objecta etiam spiritualia. Hujusmodi autem sufficiens fundamentum pro anima in brutis intelligente nullum habetur: ergo.

330. III. Argumentum intellectus est loquela artificialis sita in vocibus articulatis, quæ non habent significationem naturalem, sed arbitrariam & præseferunt amplitudinem ad significandas iis, quibuscum vivimus, per diversam earum electionem & connexionem non solum res quascunque sensibiles quæ existunt, sed etiam insensibiles, sive existant in se sive in mente cogitante, sive sint in se possibiles, sive impossibiles, & quidem pro quibusvis temporis & loci circumstantiis, adeoque plane demonstrant facultatem cognoscendi ea etiam quæ nunquam sensus afficiant, & reflectendi ad diversos sonos & accentus, horumque inter se nexum ordinem proprietates, quibus alii nobis communicant ideas nascentes ex præsentia determinatorum objectorum & circumstantiarum, ut iisdem cum illis eadem prorsus ratione, prout opus erit utamur. Atqui bruta habent solam loquelam naturalem, quam supra (n. 35.) observavimus, sitam in vocibus, quæ habent limitationem ad significandas certas dumtaxat res sensibiles, & quidem determinatis sonis pro certis temporis & loci adiunctis, in quibus versentu , non vero ulla sunt, quæ habeant loquelam artificialem, ne illa quidem ex perfectioribus, quæ inter nos adolescunt, & colloquiis nostris intersunt, & præ oculis habent ea objecta, quorum appellationes frequenter a nobis audiunt, quod ita cuique evidens est, ut nescio an ul-

(1) Id. de Vera Relig. c. 29.
(2) Le. de Immort. n. 4.
(3) Tu. de Offic. l. 1. n. 11.

ullius unquam pro historiis sumpserit Aesopi fabulas, in quibus brutorum dialogi confinguntur, & merito Franciscus Negri in præmissis italico suo *itineri septemtrionali* animadversionibus ad historiam Olai Magni ipsum accuset de prænimia credulitate vel oscitatione, dum (1) tribuit psittacis quarumdam regionum, quod completas narrationes efficiant eorum, quæ viderint: ergo bruta non habent intellectum.

331. Hoc argumentum eloquenter exponit Noghera, (2) observans nulla unquam arte fieri potuisse, ut aliquod brutum ex iis, quæ instructa novimus organis non ineptis ad vocem articulandam, efferret apto loco & opportuno tempore verba eidem quodammodo per vim arte impressa, cum interea videamus id naturaliter fieri ab infantibus primo balbutientibus, in quibus hac via jam intellectus, quo bruta carent, luculenter apparet. Idem argumentum extendi cum Cartesio (3) potest ad alia signa arbitraria, quæ homines quidem, si forte sint muti, vel diversæ inter se linguæ, vel longius alii ab aliis distantes, norunt statim excogitare, quibus inter se communicent, nunquam vero ulla bruta id fecerunt.

332. IV. Argumentum intellectus est exercere artem numerandi, quæ a primis ipsius elementis, quasi per gradus se explicat in homine, a quo nondum exacta pueritia videmus eam aliquatenus apprehendi & adhiberi. Sed hæc nunquam a brutis, quamdiu vivunt, exercetur. Quod necesse est, quia initium Arthimeticæ est cognitio unitatis, quæ ab anima determinata ad solas sensationes nequit acquiri, quia (4) *unum*, inquit S. Augustinus, *quisquis verissime cogitat, profecto invenit corporis sensibus non posse sentiri. Quicquid enim tali sensu attingitur, jam non unum, sed multa esse convincitur; corpus enim est, & ideo habet innumerabiles partes..... Porro si unum non percepimus corporis sensu, nullum numerum eo sensu percepimus*. Neque sit qui objiciat Plutarchum, qui (5) *bestias esse, quæ numeri vim intelligant & numerare possunt*, probat ex Ctesia Cnidio, qui refert Susis boves, quæ regium ibi hortum rigabant portatilibus haustris, postquam centum id genus vasa aquæ plena detulissent, plura ne vi quidem ulla effici potuisse, ut deportarent concludens, *ita accurate quævis bos summam concipit, & in memoria conservat*. Nam admissa veritate rei, ea contingere potest propter certum lassitudinis gradum, post quem consuerunt eæ bestiæ a labore liberari. Quare negatur arbitraria conclusio, quæ Susianis bobus illius temporis tribuit cognitionem numerorum, & ipsorum additionis usque ad centenarium.

V 333. Hoc

(1) Ol. l. 19. c. 40.
(2) No. Rifl. 7. su la nat. uman.
(3) Ca. de Metho. n. 5. §. Particulatim.
(4) Aug. de lib. arb. l. 2. c. 8.
(5) Plu. Terrestiane an aquatil.

333. Hoc intellectus argumentum est quasi pars illius quod versatur in cognitionibus, quæ sint supra ea, quæ solis sensibus usurpantur, vel ab iis abstrahuntur, ex quibus nulla apparet in bestiis. Hinc nesciunt ipsæ sibi effingere ideas universales ex ideis singularibus, ab his removendo conjunctas loci & temporis circumstantias, aliasque individuales proprietates, quemadmodum mens nostra solet sibi consulto efficere, ut hac via aditum sibi ad innumeras cognitiones aperiat: nec ullas unquam de rebus ipsis sibi præsentibus cognitiones prodiderunt, quæ supponunt objecta, quæ sola mens sibi excudit, cujusmodi sunt pulchritudo nobilitas pietas. Videmus enim canes equos & alia animalia cognoscere quidem suos dominos, non tamen distinguere divitem a paupere, nobilem ab ignobili, pulchrum a deformi, senem ab juvene, sanum ab infirmo, pium ab impio, Gallum ab Italo. Nonne adhuc tamquam demens Caligola traducitur, qui consulem creaverit equum sibi carum, non intelligens æqualiter de illo meritum fuisse, si carnificem declarasset; Sicuti enim ex dignitate, quam non apprehendit, animos non erexit, ita neque ex ignominia, cujus pariter nulla in eo idea esse poterat, abjecisset; quandoquidem hujusmodi ideæ requirunt comparationem unius objecti cum alio, apprehensionem de opinione hominum circa illa, alias demum cognitiones, quam quæ habeant pro suo proximo objecto res dumtaxat sensibiles.

334. V. Argumentum intellectus est artes excudere, & scientias acquirere, & jam inventas & acquisitas perpetuo variare aut perficere; Hoc enim necessario postulat magnam diversarum cognitionum vim, subtilem earum inter se collationem, & aptam omnium dispositionem, adeoque simultaneam quasi præsentiam multarum idearum, quas anima eodem tempore considerat quærens & deprehendens, quam inter se habeant vel non habeant connexionem. Qui aliquam ex his possideat, certus est de veritate eorum, quæ dicimus. Circa inventionem artium satis mihi sit hic meminisse, per artem minus speciosam conficiendi aciculas ex aurichalco, instrumenta omnium maxime communia, quippe in pluribus artibus usitata, non exhiberi unam ex his perfectam, nisi postquam distinctam operam circa ipsam homines quinque supra viginti collocaverint. Circa perpetuam varietatem in artificiis jam inventis exemplum habemus in minimis etiam quæ ad corporis integumentum vel ornamentum pertinent, cujusmodi sunt laciniæ sexcentis modis diversis visu pulchris perforatæ, quibus linea operimenta tam sacra quam profana terminantur, & ii globuli, quibus in magna Europæ parte unum virilis vestis latus cum alio ad libitum connectitur, & fibulæ, quibus calcei constringuntur, præsertim cum obtinuerint nostra ætate eam amplitudinem, quæ dimidiam fere pedis faciem complectitur, adeoque & ma-

majorem etiam latitudinem. Quanta in singulis varietas cum insigni elegantia conjuncta! Qui igitur artem aliquam vel scientiam, invenit aut didicit, habet in mente pene innumerabilem diversarum cognitionum seriem, quæ utique vim ejus intellectivam manifestat: Atqui nulla bruta artem neque scientiam ullam unquam excuderunt, aut acquisiverunt, sed umbras solum artium sibi ingenitarum in ipsa sui creatione manifestant & exercent ex dictis (n. 282.): ergo bruta non habent intellectum.

335. VI. Argumentum intellectus est tanta motuum diversitas in agente intellectivo, ut mens creata nequeat ullos certo præscire, sed ad summum quæ sagacior est, conjiciat aliquando aliquos ex probabilibus argumentis. Atqui diversitas motuum cujuscunque bruti tanta non est, ut homines etiam rudes nequeant facili notatione & inductione eos præscire, & appositis circumstantiis etiam determinare; ex quo fit ut præda hominis sint facilior pro majori ipsius peritia: ergo &c. Card. Pallavicinus (1) observat hanc limitationem in varietate motuum brutis permissa necessariam fuisse, ut homo posset facile comparare artem, qua ea regeret, cum tamquam manicipia ipsius usibus addicta & ordinata sint.

336. VII. Argumentum intellectus est libertas arbitrii, qualis in anima hominis se prodit, quæ in suscepto semel consilio immutabiliter persæpe persistit. Hæc enim probat animam, quæ potest cogitare non solum de bonis corporis, & præsentis temporis, sed etiam de bonis, quæ nullum dicunt ordinem ad corpus, & sibi propria sunt, & præcipue pertinent ad tempus in æternum duraturum. Igitur a contrario carentia liberi arbitrii, quæ in brutis certa est, ut inferius ostendam, & satis se manifestat, dum quævis ipsorum pervicacia vi externa semper tandem superatur, persuadet carentiam etiam intellectus, sive eorum animam eam esse, quæ habet pro termino suarum operationum ea tantum, quæ spectant tempus præsens & commodum ac conservationem corporis, cui conjungitur. Qua de causa commutat tandem quamcunque determinationem, quam experitur tendere ad corporis destructionem.

337. VIII. Argumentum intellectus est major perfectio in dies apparens in iis, quæ cum intellectu fiant: Sed si aves construunt nidos, aranei telas, apes favos, & singulæ brutorum species quasdam sibi proprias operationes exercent, ut volucres volatum, & pisces natationem, idem etiam quando ætate processerint, faciunt eodem prorsus modo, non jam perfectiori: neque bruta, quæ habitant partes boreales, aut nostris temporibus vivunt, diverso modo hæc exequuntur ab iis, quæ sunt in Australibus, aut anteactis sæculis vixerunt, ut testes sunt ve-

(1) Pal. in 1. 2. disp. 2. qu. 1. ar. 2. ad 6.

terum Scriptorum historiæ de animalibus, comparatæ cum iis, quæ nunc videmus, & ex recentioribus novimus. Profecto si res aliter contingeret in brutis, haberetur argumentum datæ ipsis intelligentiæ, sicuti quia homines hanc habent, non uno omnes modo pro quovis tempore habitant, vestiunt, machinantur, sed aliter Græcus, aliter Romanus, aliter Sinensis, & hi qui nunc vivunt alio a suis majoribus modo utuntur, nec dubitandum idem futurum de posteris, prout magis vel minus artes & disciplinæ ab illis excolentur. At nemo quicquam simile se visurum unquam sperat in brutis. quandoquidem nulla usque ad hoc tempus invenerunt vitæ commoda, nullum novum ullius rei gustum manifestarunt, nullas instituerunt inter se societates ad bonum suæ speciei augendum, ne illa quidem, quæ organis etiam instructa sunt non ineptis ad majorem eorum, quæ faciunt perfectionem.

338. Hoc argumentum quod est a posteriori, confirmat alterum, quo a priori excluditur hujusmodi spes, scilicet quia a brutis non cognoscuntur suæ sensationes, nec modus quo hæ fiant, sive conditiones ad eas habendas requisitæ. Quis enim cogitet de modo perficiendi visum, qui nequeat sic interius se ipsum alloqui; habeo oculos & dantur colores, ex quibus visio dependet, non vero ex manibus aut alio corporis organo. Quoniam hæ cognitiones seu judicia habent pro objecto aliud quid, quam rem sensibilem, non cadunt in bruta. Hinc concludimus principium particularis industriæ, quod in singulis brutorum speciebus diversum conspicimus, limitatum esse ad corporis & speciei conservationem, & ad uniforme organorum exercitium ad hos unice fines ordinatum. Rem magis sic explico. Bruta afficiuntur objectorum corporeorum impressionibus, ad quas recipiendas, & ex illis in se excitandas particulares cognitiones, temperata habent organa. Ex his sensationibus determinantur ad quosdam motus, non secus ac nos a nostris indigentiis impellimur ad conquirendos cibos, ad accedendum aut recedendum ab aliquo loco. At cum determinatio operandi in nobis non sit alligata uni particulari modo, sed relicta directioni intellectus, quo præditi sumus, & quo uti possumus diverso modo, hinc non omnes in iisdem circumstantiis eodem modo operamur: Contra vero determinatio operandi in brutis, quæ carent intellectu, limitata est in similibus circumstantiis ad unam tantummodo rationem, quæ refunditur in talem animæ naturam sic a Deo creator e limitatam. De hoc argumento eloquenter disserit Noghera (1) & cum quibusdam aliis ex superioribus adhibet etiam Para (2).

A r-

(1) No. Rifl. 6. su la Nat. pag. 59. (2) Pa. Metaph. n. 344.

ARTICULUS II.

Objectiones contra argumentum ab auctoritate.

339. I. Objicitur. Allata Scripturæ testimonia negant solum brutis tales actus, qui sapiant intellectum, non vero negant potentiam intellectus; ergo.

Resp. nego ans, quod continet limitationem in verbis Scripturæ non solum arbitrariam, sed etiam repugnantem, quippe inferretur ea admissa, Deum frustra dedisse hanc potentiam brutis semel quod detur illam nunquam a brutis adhiberi. Hanc interea objectionem Joannes Cadonicus (1) etsi nolens protulit, dum fortasse finxit esse qui eam ad aliud propositum producant, quam deinde ipse male censuit se evertisse per hoc, quod communiter definitio bruti *animal irrationale* appellet ad potentiam, & non ad actus: Nam Adversarii vel id negabunt, vel non curabunt, vel respuent eam definitionem in prædicto sensu.

340. II. Objicitur. Scriptura tribuit brutis animam intellectivam; Nam dicit (2) *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ. Vade* (3) *ad formicam piger & considera vias ejus, & disce sapientiam. Quatuor* (4) *sunt minima terræ & ipsa sunt sapientiora sapientibus, Formica, Lepusculus, Locusta, Stellio. Quis* (5) *posuit in visceribus hominum sapientiam, & quis dedit Gallo intelligentiam?* Et loquens de Struthione dicit, (6) *Privavit eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam*. Ubi notanda est vox privavit, quæ dicitur de eo, quod caret aliquo, cujus capax est. Quare struthio dum privata dicitur intelligentia, declaratur simul illius capax.

Resp. nego assumptum, quod textus citati non probant. Habent illi suum sensum proprium, qui est attribuere brutis ea exercitia, quæ significant ea prædita esse vi apprehendendi judicandi & discurrendi cum limitatione ad objecta sensibilia singulis propria. Qui det laudatis verbis significationem eamdem, in qua sumuntur, cum de homine, vel de substantiis sine controversia intelligentibus dicuntur, non solum gratis dat, sed etiam contra Scripturam, quæ quando bruta cum hominibus comparat, expresse ut vidimus (n. 326.) negat ipsis intellectum, & sapientiam, quam nobis tribuit.

341. Illis, qui instarent, voces Calliditas Sapientia Intelligentia ex usu jam recepto significare aliquid amplius, quam nos dicimus convenire brutis, respondetur primo, hoc verum dumtaxat esse, quando adhi-

(1) Ca. Confut. di Derham §. 8.
(2) Gen. 3.
(3) Prov. 6.
(4) Prov. 30. v. 24.
(5) Job. 38 v. 36.
(6) Job 39. v. 17.

adhibentur separatæ ab adjunctis, vel cum iis conjunctæ, quæ consuetam significationem relinquant, non vero quando cum iis uniantur, quæ eam ex aliunde cognitis amplius non permittant: non secus ac si hæc vox homo conjungatur cum attributis albi aut nigri, non accipitur in diverso sensu ac solitarie sumpta: quod utique accidit dicendo homo pictus aut mortuus.

Respondetur secundo, quando adhuc quis dubitet, an eæ voces applicatæ brutis in objectis locis amittant communem significationem, & aliam recipiant, consulat interpretes, quorum nemo favet adversariis; Nam sapientia formicæ lepusculi locustæ & stellionis advertit Cornelius a Lapide sic dici (1) *quia ita sibi prospiciunt, quasi ex sapientia aliqua operarentur, & quia nos sapientiam docent, & idcirco possunt dici sapientiora sapientibus, quod sua actione singulari docent sapientiam, & ab eis non docentur*. De calliditate serpentis dicit S. Augustinus (2) *astutissimus omnium bestiarum dictus est serpens propter astutiam Diaboli, qui in illo, & de illo agebat dolum, quemadmodum dicitur prudens vel astuta lingua, quam prudens vel astutus movet ad aliquid prudenter astuteque suadendum*. Intelligentiam galli interpretes unanimiter accipiunt pro sensu, vel pro instinctu naturali canendi statis temporibus, quasi hæc tempora cognoscat. Per privationem tandem sapientiæ & intelligentiæ in struthione ipse contextus Scripturæ significat brutum hoc quædam agere, quæ ipsum carere ostendunt iis cognitionibus, quæ cum in ceteris brutis communiter appareant, poterat etiam in eo esse, unde jure dicitur privatum. Pluche (3) de aliquibus hujus stoliditatis in struthione argumentis meminit. Scriptura illud ibidem urget de neglectu ovorum, quæ eorum immemor in medio agri relinquit. Accedit, quod quæ hic de Struthione dicuntur, symbolica sunt, ut notat Corderius (4) in hunc locum, sequutus S. Gregorium Magnum, quem citat, & *apte dictum esse privavit eam, ut intelligamus, Deum non tam de Struthione, quam de hypocrita, quem describere volebat, loquutum*.

342. III. Objicitur. Mens in communi acceptione significat vim intelligendi: Sed mentem tribuunt brutis multi; Nam omissis illis, qui brutorum animam nolunt esse ordinis inferioris nostris animis, de quibus supra (n. 292.), Horatius dicit (5) *Demitto auriculas ut iniquæ mentis asellus*: Tullius, (6) *In formica non modo est sensus, sed etiam mens, ratio, memoria*: Musschenbroekius ait (7) *in mente humana aut brutorum*: Lactantius bruta inquit vocibus (8) *habitum mentis ostendunt*, & pau-

(1) Lap. in Prov. c. 30. v. 24.
(2) Au Gen. ad lit. l. 11. c. 29.
(3) Plu. Spett. Les Oiseaux.
(4) Cor. Job. elucidatus.
(5) Hor. l. 1. satir. 9. v. 20.
(6) Tu. de Nat. Deor. l. 3. n. 21.
(7) Muss. Elem. Phys. c. 3. §. 91.
(8) La. de Ira Dei c. 7.

& paulo infra affirmat esse *in illis intelligentiam & cogitationem* : ergo.

Resp. conc. maj. & dist. min. Mentem in sensu metaphorico multi tribuunt brutis, *transeat minor*: in sensu proprio, exclusis jam illis supra impugnatis, qui ab ipso objiciente omittuntur, *nego min. & con. seqm.* Ex iis qui citantur, ad summum Musschenbroekio utpote philosopho tribui posset, quod illam sumpserit in sensu proprio, sed cum de hac re ibi non disquirat ex professo, ipse etiam benignius intelligi potest. Ex Horatio certe argui nequit pro proprietate significationis, cnm ibi poetam agat. Multo minus autem ex Tullio, qui alibi sensum suum aperuit, magis castigate dicens (1) *esse in homine mentem, in bellua quiddam simile menti*. Idem dico de Lactantio, qui ibidem tandem profitetur similitudinem dumtaxat mentis & intelligentiæ se admittere in brutis, *quæ*, inquit, *videntur hominis esse propria, etsi non sint talia in mutis, tamen similia videri possunt ... sola est religio, cujus in mutis nec vestigium aliquod, nec ulla suspicio inveniri potest*. Has aliasque loquutiones ibidem adhibitas a Lactantio non advertit Bougeantius (2), qui propterea ipsum accusavit, sicuti jampridem fecerat Bayles (3), quod admiserit animas brutorum præditas vi intelligendi, & simul destitutas omni religionis cognitione, sed inscite aut calumniose, ut ostendunt Trevoltiani (4).

ARTICULUS III.

Objectio ex brutis operantibus propter finem.

343. OBjicitur. Operari propter finem arguit intellectum. Id brutis convenire suadetur observatione & auctoritate S. Thomæ, qui ait, (5) *ovis videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris & figuræ, sed quasi inimicum naturæ: & similiter avis colligit paleam, non quia delectat sensum, sed quia est utilis ad nidificandum.*

Respondetur, argumentum animæ rationalis esse operari propter finem ab ipso operante intentum, non vero intentum a solo Deo operantis creatore. Qui intendit finem, & ut ipsum consequatur, aliquid agit, hic dici solet operari propter finem formaliter, & utique vim intelligendi tunc patefacit: qui autem solum agit, quæ ad finem ab alio intentum conducunt, ipsomet agente hujus conducentiæ ignaro, hic dicitur operari propter finem materialiter, & ex hac ipsius operatione nullum argumentum intellectus, qui in eo sit, habetur. Atque hoc

(1) Tu. de Nat. Decor. l. 2. n. 29.
(2) Bou. Lingu. delle best. P. 1.
(3) Bay. Dizio. ar. Rorarius.
(4) Tre. an. 1749. ar. 42. pag. 781.
(5) Th. 1. 2. q. 12. ar. 5. ad 3.

hoc dumtaxat materiali modo bruta operari propter finem dicuntur.

344. Porro illud agens intendit finem, quod consulto ipsum eligit, & sibi proponit: vel si aliunde ad illum fuerit inclinatum atque directum, saltem ut loquar cum Sfortia Pallavicino, (1) *determinat se ad ponendum potius hoc medium, quam illud, ut talis finis obtineatur, quo secundo modo dicimur intendere felicitatem pro fine, quamvis simus determinati ad illam quærendam.* Jam vero bruta nullum ipsamet finem sibi proponunt aut eligunt, quia carent vi consulendi, quid sibi expediat, & intelligendi quo ipsorum vires pertingant: & ad quemcunque finem, ad quem aliunde sint determinata, tendunt quidem per opportunas operationes, quin tamen cognoscant eas habere rationem medii ad finem, sive ut S. Thomas in ipsomet objecto articulo doctrinam suam declarans dicit, quin habeant cognitionem expressam, quod per eam operationem possit obtineri finis.

345. Instant. Qui agit propter finem, cognoscit proportionem medii cum fine: ergo si bruta aliquando saltem agunt propter finem hanc proportionem cognoscunt, quod fieri non potest sine intellectu. *Resp. nego ans*, prout universalis propositio est. Soli enim illi, qui agunt propter finem modo perfectissimo, sive ut ajunt propter finem formaliter, hanc proportionem medii ad finem præcogitant & intelligunt, non vero illi qui vel impares sunt ad modum operandi tam perfectum, vel alia de caussa ipsum non semper adhibent. Pueri ab usu rationis adhuc longe remoti quam multa quotidie præbent exempla operationis positæ propter finem, quin illis tribui possit, quod proportionem cum fine mediorum quæ adhibent cognoscant. Igitur ex iis, quæ bruta faciunt propter finem non infertur cognoscere proportionem mediorum ad finem: & quando eas operationes ipsamet active non efficerent, & carerent apprehensione termini, ad quem tendunt, ejusdem omnino generis essent, ac motus sagittæ in scopum, quo tendit, non quia ipsa se in illum dirigat, sed quia a jaculante dirigitur, quandoquidem ut observat S. Thomas (2) *Bruta non habent in sua potestate appetitivum motum, sed talis motus in eis est ex instinctu naturæ.*

346. Instant iterum, objecta saltem S. Thomæ verba circa oves quæ fugiunt lupum, & aves quæ nidos construunt, satis aperte significant bruta intendere finem.

Qui sic instant, videntur velle contradictionem in s. Doctore reperiri, quasi ea dicat, quæ rationem esse in irrationalibus demonstrent. At qui legat quæ ulterius habet, omnia intelliget inter se cohærere, bruta inquit, percipiunt finem *solum naturali instinctu: homo autem per quamdam collationem. Et ideo, quæ in aliis animalibus dicitur æstimativa naturalis, in homine dicitur cogitativa, quæ per collationem quamdam hujusmodi intentiones adin-*

(1) Pa. 1 2. di. 3. qu. 1. ar. 3. n. 2. (2) Th. 1. 2. q. 5. ar. 2.

adinvenit, quod ſæpe repetit (1). Idem inferius legendus, ubi contra illos, qui ex eo quod negari omnino non poſſit bruta operari propter finem, tribuere volebant brutis electionem, reſpondet (2) *non omnis appetitus alicujus propter finem vocatur electio*: ſed ille qui conjungitur *cum quadam directione unius ab altero, quod locum habere non poteſt, niſi ubi appetitus poteſt ferri ad plura*. Huc facit alia ejuſdem doctrina ſæpius tradita, in qua explicans in quo ſenſu Ariſtoteles, & aliqui etiam Patres voluntarium prædicaverint de brutis, docet diſtingui oportere (3) *duplicem cognitionem finis perfectam & imperfectam. Perfecta, eſt quando non ſolum apprehenditur res, quæ eſt finis, ſed etiam cognoſcitur ratio finis, & proportio ejus quod ordinatur ad finem ipſum; & talis cognitio finis competit ſoli rationali naturæ. Imperfecta eſt, quæ in ſola finis apprehenſione conſiſtit ſine hoc, quod cognoſcatur ratio finis, & proportio actus ad finem, & talis reperitur in brutis*: & concludit, *perfectam cognitionem finis ſequitur voluntarium ſecundum rationem perfectam: imperfectam autem cognitionem finis ſequitur voluntarium ſecundum rationem imperfectam, & hoc competit etiam brutis*.

ARTICULUS IV.

Objectiones ex docilitate, ſcientia, & arte brutorum.

347. I. Objicitur. Habere docilitatem arguit intellectum. Hanc habent multa bruta, equi præſertim, elephanti canes & aves rapaces. Pro his enim novimus eſſe magiſtros & paleſtras, quibus debemus generoſas artes, equeſtrem, quæ equos docet movere pedes cum elegantia, currere ſine incommodo ſeſſorum, ſaltare cum admiratione ſpectatorum, & totum corpus ad quamdam majeſtatem componere: Ornithotiram, hoc eſt artem captandi prædam per aves venaticas, & Thereuticem ſeu Cynegeticem, hoc eſt artem venandi feras, quæ vel carptu veſcuntur ut Cervi & Damæ, vel morſu ſæviunt ut Apri & Lupi, per equos caneſve opportune ad hoc exercitium inſtructos. De docilitate avium ad cantus ipſis non naturales teſtes ſunt, qui luſcinias docent artificioſas cantiunculas per tibias & organa, quæ coram ipſis reſonentur. Teſtes fuerunt Romani anno 1776, quando menſe Julio advenit homo attenta ipſius dialecto Siculus, qui carduelis & paſſeres canarios jubebat coram multitudine diverſa exercitia peragere aliena ab avium natura ſibi relicta. Ponebat ille ſupra columellam unam ex his avibus ſupinam volens ut ſe fingeret mortuam oculis

(1) Th. 1. 2. q. 11. art. 2. & q. 16. art. 2. ad 4. & q. 17. art. 2. ad 2.

(2) Id. ibid. qu. 13. art. 2. ad 1.

(3) Id. ibid. qu. 6. ar. 2. & q. 11. ar. 2. & q. 2. ar. 5. ad 3.

lis clausis, & capite quod extra fulcrum erat deorsum cadente & quasi dissoluto, atque tam bene fingebat, ut erectum per virgulam caput, statim ea sublata decideret. Aliam pileolo supra caput imposito & pera circa lumbos pendente jubebat unguibus stringere igneam ballistam sibi proportionatam, & excubias agere, atque has quamdiu vellet agebat. Erat alia, quæ prope parvum bellicum tormentum transferebatur, ubi incendiarium funiculum accensum ipsamet unguibus stringens, hunc admovebat tormento, quod etiamsi cum tonitru exploderetur, nihil ipsa commovebatur, neque fugiebat. Alia tandem collocata in medio rotæ, supra cujus extremos radios in parva cochlearia desinentes successive pulvis pyrius inflammabatur, ibi stabat intrepida.

348. Respondetur, brutorum docilitatem longe minorem esse ea, quæ observatur in pueris adhuc ab usu rationis remotis, & in amentibus & nullo modo comparandam cum ea, quæ hominibus convenit. Hominum docilitas definiri potest capacitas cognoscendi illationem veritatum particularium ex principiis generalibus, vel apprehendendi principia generalia ex inductione particularium: docilitas autem infantium, amentium, & brutorum est facilitas exercendi aliquas operationes, quas antea jam ex hominis industria sæpius effecerint. Illa hominum utique postulat intellectum: at illa brutorum requirit certos dumtaxat instinctus, & certa organa & aptam eorumdem dispositionem, & quasi flexibilitatem, quæ cum non sint in omnibus brutis, & in aliquibus magis perfecta sint, quam in aliis, hinc non omnes brutorum species eamdem docilitatem habent, nec in iis quibus inest, reperitur in eodem gradu.

349. Quod ad hanc docilitatem concurrant varii instinctus, quibus artificio humano quasi inter se unitis exerceant bruta eas operationes, quas naturaliter non facerent, concluditur animadversa talium operationum origine & natura. Certe singulæ sunt intra earum genus, ad quas instinctu naturali feruntur, ut venationis ferarum in canibus, & avium in accipitribus, ambulationis in equis, & cantus in avibus, & motus ac quietis in omnibus brutis. Quod hæc per hominis industriam tandem faciant modo insolito, provenit ab instinctu effugiendi sibi noxia & sectandi ac quærendi sibi jucunda; solent enim horum brutorum magistri ea percutere vel alio modo affligere, si motus non cohibeant aut accelerent, aliasque actiones illis ceteroquin proprias non contineant aut varient prout ipsi volunt, & rursus mulcent, blandiuntur, & quæ grata ipsis sunt largiuntur, quando morigera experiuntur. In docilitate autem canendi quarumdam avium, observandum est, eam limitari ad unam cantiunculam artificiosam quæ frequenter ipsarum auribus personuerit, cui assuescunt, dum parvæ sunt, & ut ita dicam infantes, quando nondum natura ad cantum ipsis proprium eorum organa determinavit. Docilitas vero, quæ narrata est de carduelibus

libus & canariis cum reducatur ad ſtandum in loco & ſitu, in quo collocentur, admirabilis eſt non propter difficultatem rei, ſed propter raritatem, quia rari ſunt, qui hanc moleſtiam ſibi aſſumant inducendi in has aves habitum ad hujuſmodi ſtationem per repetitas exercitationes.

350. II. Obiicitur. Negari non poteſt eſſe permulta bruta, quæ ſcientiam aliquam aut artem poſſident. At id omnino negandum eſſe ſupra (n. 284.) oſtenſum eſt, quemadmodum negavit S. Auguſtinus, qui (1) irrationalibus animantibus dixit ineſſe *quamdam ſcientiæ ſimilitudinem, ſed ſcientias nullo modo*. Ipſi etiam Poetæ hujuſmodi conſequentias abhorruerunt deductas ex iis, quorum aliam omnino viderunt eſſe cauſam. Alamanni ſunt hæc (2).

Ciò non voglio io penſar, ch' augello, o fera
Per ſegreto divin prevegga il tempo
Chiaro, o foſco che vien, ne ſian per fato
Di più ſenno o veder creati al Mondo.

351. III. Objicitur. Ex eo, quod bruta non proficiant in ſcientia ulla aut arte, non ſequitur carere intellectu. Nam poteſt hujus exercitium eſſe iiſdem impeditum ab imperfectione conſtructionis & defectu organorum ad illud manifeſtandum, quemadmodum dicitur de hominibus, qui aliquando inveniuntur inepti ad proficiendum in quavis arte ac ſcientia. Confirmatur hoc argumentum ex opinione Helvetii, & aliorum philoſophorum, qui ex imperfectione organizationis credunt provenire, quod major in hominibus ſe prodat vis cognoſcendi, quam in brutis: & Bougeantii, qui malum Dæmonem tribuens pro anima ſingulis beſtiis, ex indocili corporis ſtructura repetit, quod qui aliunde ſunt tanto majori intelligentia prædìti, ac nos ſumus, ſtolidi in illis appareant.

Reſp. diſt. aſſumptum, ex eo quod bruta non proficiant, non ſequitur immediate carere intellectu, *conc.* non ſequitur mediate, *nego*. Igitur quoniam nulla umquam bruta perfecerunt ſcientiam ullam aut artem, cujus quaſi rudimenta innata habent, ſequitur immediate, quod ſi ea haberent intellectum, fruſtra haberent. Et ex hoc plane ſequitur eo prorſus carere; Nam cum Deus nihil faciat fruſtra, multo minus fruſtra facit animam intelligentem. Quod pertinet ad homines ſtupidos, imprimis dico raros admodum eſſe homines, ſiqui forte ſint, qui non præſeferant aliquam aptitudinem ad operandum aliquid ſupra id, quod quodvis brutum operatur, & ad profectum in aliqua arte aut ſcientia. Saltem ſi ſurdi & muti non ſunt, diſcunt loqui, & ni fatui ſint, ſigna religionis exhibent, & alia etiam præſtant, quorum nullum veſtigium in brutis apparet, tandem quando etiam omnino ſtolidus quis ſit, figuram tamen hominis credo habebit, & quia homines communiter oſtendunt ſe

(1) Au. de Civit. l. xi. c. 26.

(2) Ala. Coltivaz. l. 5. in fine.

se præditos anima rationali, jure concluditur etiam illis inesse hanc animam. Ex contraria ratione cum nullum brutorum unquam argumenta animæ hujusmodi dederit, nulli proinde tribui debet.

352. Quod pertinet ad Helvetium, ille ibi Materialistam agit, adeoque non solum brutis intellectum non concedit, sed sibi etiam & omnibus negat. Quæ igitur Materialistarum stultitiam seu perfidiam ostendunt, ipsum quoque confutant, quem ceteroqui ipsi Materialistæ credo contemnent, quandoquidem non ab organica constructione brutorum universim sumpta repetat ille, quod bruta minus, quam nos perfecte cognoscant, sed ab ea solum, quæ est in eorumdem artubus, qui non desinunt in digitos, sed in crassas ungulas & corneam materiam. Quando autem quis velit ipsum nobis mentem non negare, sed hanc brutis etiam concedere, stolide id ab eo tentatum esse supra jam (n. 316.) demonstratum est: Quod tandem dicitur de Bougeantii opinione, eam supra (n. 271.) pariter ostendimus fuisse absurde excogitatam.

353. Instat Montagne (1). Dantur homines constanter stupidi, nihilominus quisque credit ipsos præditos anima rationali propter similitudinem, quam habent cum hominibus non stupidis: ergo ea saltem bruta, quæ habent majorem similitudinem cum hominibus non stupidis, quam cum his habeant aliqui stupidi, quamvis nunquam mentem se habere ostendant, credi possunt ea non carere.

Resp. cum Bossueto (2) *dist. primam partem antec.* Dantur homines constanter stupidi, hoc est inepti ad omnem scientiam & artem ex iis, quæ studio acquiruntur, *omitto*; hoc est nihil unquam agentes, quod proprium sit solius animæ rationalis, *nego hanc partem*. Et concessa altera, *nego conseqm*, in qua etiam *nego* vel *omitto* hypothesim de similitudine cum hominibus in aliquibus brutis majori, quam sit in aliquibus stupidis cum cæteris hominibus; Nam si hæc hypothesis sit de similitudine in operando, cum nullus sit homo tam stolidus, qui per signa artificialia cum suis & aliis non communicet suas cognitiones, qui aliquam artem non apprehendat & exerceat, qui in ea magis magisque in dies non proficiat, qui brutis non dominetur, quæ vel ducit vel regit vel venatur, qui probos mores ab improbis non dignoscat, qui cognitionem aliquam Dei non habeat, quorum nihil præstat ulla bestia ex callidioribus, jam falsa est hypothesis. Sin vero intelligenda hæc sit de similitudine in externa corporis conformatione, temere adhuc dicitur esse aliqua bruta similiora hominibus, quam sint aliqui homines inter se. Hoc enim aliud fundamentum non habet, quam narrationes viatorum de quibusdam a se repertis gentibus figuræ horribilis, in quibus nullam fidem merentur, utpote qui vel consulto hæc confinxerunt, ut imperitis imponerent, & fabularum amatoribus placerent, vel aliorum relationes incon-

(1) Mon. Essai l. 1. c. 42. (2) Bo. Conno. de Dieu c. 5. n. 7.

inconsiderate amplexi sunt, vel vanas imaginationes sequuti sunt, vel cum vellent dicere aliquam particularem deformitatem frequentem reperiri apud aliquam gentem, ita loquuti sunt, ut toti communem visi sint facere. Ceterum quando instituitur comparatio inter duo diversa genera ad æstimandam ipsorum perfectionem, iniquum est, quod in uno genere perfectum est individuum, conferre cum eo, quod in altero est satis imperfectum; Hoc enim modo cervum leoni, & asinum homini præpones, si cervum vegetum cum Leone jam decrepito componas, vel asinum operantem cum homine infirmo aut dormiente. Itaque quando quæritur quantum homo bruta antecellat in perfectione vel corporis vel animæ vel operationum, inique comparatur quod vitiosum est inter homines, cum eo quod est egregium in brutis.

Articulus V.

Objectio ex observatis in brutis ratiociniis.

354. Objicitur. Unum inferre ex alio est proprium mentis, quod a brutis fieri, multis contendunt adversarii demonstrare. Sed respondetur, proprias mentis illationes eas esse, quæ cognitiones abstractas aut spirituales seu de objectis extra genus sensibilium, & temporalium positis supponant, ex quibus nullum in brutis exemplum habemus, cum omnia talia sint, qualia in pueris etiam apparent adhuc longe remotis ab ætate, qua usum rationis habeant.

355. I. Instant. Dato animas brutorum cognoscere sensibilia & materialia, dandum etiam est posse cognoscere insensibilia & immaterialia. Sed primum datur: ergo dandum & secundum. Major sic probatur. Ideo anima brutorum etsi cognoscat materialia, nequit tamen cognoscere immaterialia, vel quia differt genere ab objectis immaterialibus, & hoc non potest dici, siquidem per nos etiam illa est immaterialis, utpote spiritualis, vel quia objecta immaterialia sunt ordinis & naturæ sublimioris, & ne hoc quidem dici potest; Nam anima hominis est infinite distans in perfectione a Deo, illum tamen aliquo modo cognoscit.

Resp. nego maj. Ad ejus probationem dico, bene excludi caussas adductas, male autem postulari, ut assignemus quænam sit ratio, quare anima brutorum etsi spiritualis, cognoscat solum sensibilia. Ut hoc fieret, opus esset agnoscere naturam illius, & aliunde notum est, concessam nobis non esse ullius naturæ, ne nostræ quidem cognitionem, ut alibi (1) declaravi. Hoc in universum dico, quod posse cognoscere etiam immaterialia est ex terminis quid perfectius, quam cognoscere solum materialia: & male asseri, quod Deus auctor rerum, quoties dede-

(1) De Ideis n. 671 edi. 2.

dederit minorem aliquam perfectionem, debeat etiam alteram majorem largiri.

356. II. Instant. Bruta patiuntur deliria, ut de equis compertum est, & de simiis quæ ebrietati subjacent, & de canibus & aliis brutis, quæ hydrophobia corripiuutur, quam Medici speciem maniæ dicunt: Sed delirium est læsio intellectus; ergo bruta habent intellectum.

Resp. conc. maj. & nego min. Dementia proprie a latinis dicitur infirmitas, quæ est læsio intellectus. Quare ea nunquam enunciatur de brutis ab iis, qui non dicam accurate loquantur, sed qui nolint ridiculos apparere in suis enunciationibus. Soli igitur delirio subjacent bruta, quippe illud aliud non est, quam perturbatio cognitionum orta ex vitiata naturali constitutione cerebri, a quo necessario dependent, ut alibi (1) observavi.

357. III. Instant. Canes Muli Vulpes, aliaque bruta ratiocinantur: ergo hæc saltem habent intellectum. Antecedens, quod utique sumpto ratiocinio in eodem sensu, ac dicitur de homine, negandum est, probatur ex canibus proferendo in medium vertagum Chrysippi, quem Sextus Empiricus (2), S. Basilius (3), & S. Thomas (4) dialecticum ostendunt: Nam dum feram insequens ad trivium pervenit, duas dumtaxat semitas naribus explorat, non vero tertiam, per quam statim currit, quasi concludens, quoniam fera nec per hanc nec per illam viam processit, necesse est per tertiam, quæ unica restat, abierit. At repulit jam Plutarchus hoc exemplum tamquam (5) *falsum & adulterinum; Nam sensus cani, fera quo fugerit, demonstrat.*

358. Ex mulis commemoratur ille Thaletis Philosophi antiquissimi, quem Gassendus (6) in asinum commutavit, de quo citato loco Plutarchus refert, quod transiens per fluvium, intra ipsum toto corpore se prostrabat, ut pondus salis sibi impositum minueretur, eo in aquam dissoluto, de quo levamento edoctus fuerat, casu intra ipsum olim delapsus. Quam industriam tunc tandem omisit, quando agaso ex consilio Thaletis lanam & spongias pro sale mulo imposuit, ut cum de more se sub aquis demergeret, augmentum ponderis reportaret. Quare sicuti prius concluserat sibi utile esse in transitu fluvii recumbere, quia levior reddebatur sarcina, ita deinde ex contraria ratione hujusmodi lapsum ut sibi perniciosum vitavit. At non opus est fingere in hac re aliquod ratiocinium magis acutum aut exquisitum illo, quod jumenta exhibent in circumstantiis, quas alias experta sunt esse sibi causas doloris aut voluptatis. Siquod in utroque casu agnosci debet, non transcendit ratiocinii genus brutis concessum & pueris, qui procul adhuc sint

(1) De Ideis n. 262. edit. 2.
(2) Em. Pyrrh. Hypoth. c. 14.
(3) Bas. hom. 9.
(4) Th. 1. 2. q. 13. ar. 2. ad 3.
(5) Plu. Terrestriane an aquatil.
(6) Gas. de Animal. l. 8. c. 5.

fint ab usu rationis. Auctor A. D., qui uno in loco dixit, (1) *exemplum hujus muli esse inexplicabile per animam, quæ non discurrat*, in alio illud contendit explicare per motus solum mechanicos: sed infelici conatu, quippe imprudens, & sui propositi immemor agnoscit in mulo amorem sui commodi, quod olim expertus fuerat sibi obvenisse ex illa in aquis immersione, atque (2) *hic* inquit *amor fuit caussa, cur iterum sibi illud procuraret*.

359. Pro vulpibus citantur Thraciæ, quæ concretum gelu fluvium non transeunt, si auribus admotis sentiant aquam prope subterlabi. Quare juxta Plutarchum sic per soritem videntur ratiocinari, (3) *Quod sonitum edit, movetur: quod movetur, non congelavit: quod gelu non concrevit, humidum est: quod humidum est, subsidere solet*. At ad hoc exemplum, quod de omnibus vulpibus alii narrant, datur eadem responsio, ac de jumento salario data est, admittere scilicet debemus in brutis præter apprehensionem rerum sensibilium, etiam earum quamdam æstimationem, & quamdam discursus speciem restrictam ad ea, quæ juvant, & necessaria sunt ad vitam, ut distinctius in proxima propositione explicabo. Antonius le Grand conjungit inter se repugnantia, dum negat hisce vulpibus utpote meris automatis omne cognitionis genus, & simul affirmat hæc ab eis præstari, quia memores sunt de molestia frigoris alias intra glaciem tolerati, & hoc modo cavent a lapsu. En ipsius verba, quæ hanc contradictionem continent: (4) *Vulpes quæ in Thracia amnibus congelatis se committere detrectant; ni prius de glaciei soliditate ipsis constet, non id judicio sed memoriæ beneficio peragunt. Fieri enim potuit ut excepto alias ab eodem tegumento strepitu aquarum, in ipsas delaberentur. Quod vero ad glaciem aurem admoveant a timore provenit. Unde liquet vulpes eo in casu, non ratiocinio uti, sed affectu impelli, non cognitione pollere, sed sola passione ad tales motus agi*. In hanc ipse contradictionem a Sbaraglio (5) jam observatam incidit, sequutus cæco modo Cartesium, qui manifestum hunc errorem venditavit, a brutis multa effici vi passionum ut spei & motus, quin desinant esse pura automata: (6) *Omnia*, sic ille, *quæ docentur canes equi & simiæ, aliud non sunt quam illorum spei metus aut lætitiæ motus, ita ut ad hæc facienda cogitatione nentiquam egeant*. Quod alibi etiam ut inferius constabit inculcat. Similia interea exempla similis elevat responsio, adhibita etiam ubi opus est efficacia instinctus brutorum sæpius jam nominati.

A r-

(1) A. D. c. 14.
(2) Id. c. 22.
(3) Plut. Terrestriane.
(4) Gr. Carentia sens.
(5) Sb Ani. brut. di. 3. c. 2 se. 5.
(6) Ca. epis. 58. p. 1.

ARTICULUS VI.

Aliæ objectiones contra argumenta a ratione.

360. I. OBjicitur. Argumentum intellectus est percipere significationem loquutionis humanæ: Sed cicures bestiæ, equi boves canes falcones astures percipiunt hanc significationem; Nam currit equus vel aliquo determinato motu movetur equite per solam vocem imperante hunc cursum vel motum: & in prædam ruunt canis falco astur ad imperium venatoris, eaque potiti etiamsi id fecerint non sine magno labore, statim intactam deferunt domino per sibilum revocanti: ergo cicures saltem bestiæ habent intellectum.

Resp. conc. maj. & nego min., quam ratio adducta non suadet; Neque enim cicures bestiæ ea agunt, quia percipiunt significationem eorum verborum, sed quia voces aut verba, quibus instruebantur ad eas operationes, conjuncta fuerunt cum aliqua vera caussa, quæ ipsas naturaliter & necessario ad illas determinabat. Itaque quia una cum certis clamoribus seu verbis eques adhibebat calcar vel scuticam, quando volebat ut hoc vel illo modo equus moveretur, factum deinde est, ut idem motus vel pedis vel scuticæ, & sola etiam vox equum ad easdem in posterum operationes determinet. Similia exempla non dissimili modo explicat auctor A. D. (1), credens se hac via suadere non solum nullum esse intellectum in brutis, sed ne ullam quidem cognitionem. At quam bene illud primum infertur, tam male hoc secundum. Ceterum bruta non percipere significationem nostrorum verborum manifestum est (n. 330.) ex illis, quæ nobiscum fiunt, & ex ipsa experientia novimus organis etiam instructa esse ad eorum pronunciationem, quandoquidem iis nunquam solent uti opportune, nec quævis alia bruta peragunt quæ volumus, si ea petimus iisdem verbis, sed non iisdem adjunctis. Quare sua hac objectione adversarii ad novum contra ipsos argumentum viam nobis aperuerunt.

361. Ipsum exemplum avium rapacium, quæ arte, quam describit Pluche (2) instruuntur non solum ad venandum alias aves, sed ipsos etiam apros & lupos superandos, habent in nostra sententia aptam explicationem, quæ confirmat quod statuimus, vim cognoscendi in brutis limitari ad sola sensibilia, nullam vero in Cartesiana. Nos enim dicimus eas aves magno ardore prædam insequi, quia cum antea domi venator cibum, qui iisdem magis placeret, non concesserit nisi absconditum sub forma similis vel avis vel feræ, credunt eumdem sibi iterum proponi, quando in indicatam prædam immittuntur, quin unquam

(1) A. D. de Anim. brut.

(2) Plu. Spett. Entr. Les Oiseaux.

quam discernant inter fictum & verum animal. Quod autem eam jam apprehensam ad dominum deferant, vel sponte, vel quia ejusdem sibilo sentiunt se revocari, hoc provenit ex habitu redeundi ad dominum tali modo sibilantem, quem paulatim contraxerunt ex blandimentis & cupediis, quibus alias exceptæ fuerunt, non secus ac idem eadem via ab aliis brutis præsertim canibus passim solemus obtinere. Quæ est ratio cur sponte etiam cum præda ad venatorem revertantur. At Cartesiani, qui ad effluvia recurrunt, quæ certos animalium motus determinant, non satisfaciunt objicientibus, non posse effluvia veri animalis esse eadem cum illis simulati, & multo minus per effluvia rationem reddunt de earum reditu ad suos dominos.

362. II. Objicitur. Habere ideas universales arguit intellectum: sed hæ reperiuntur in brutis, quia non abhorrerent oves quemvis lupum, aves quemvis accipitrem, lepores quemvis canem: nec equi vescerentur quovis foeno, nec animalia quæcunque biberent in quovis fonte, nisi haberent ideas universales lupi canis foeni aquæ: At qui sic argumunt necesse erit admittant ideas universales etiam in pueris, quando adhuc fatentur usu intellectus carere, adeoque nullas in iis esse posse. Habent igitur bruta & pueri ideas dumtaxat singulares, quæ quoniam terminantur ad proprietates quasdam sensibiles, quæ in omnibus ejusdem speciei individuis occurrunt, & magis sensus percellunt, philosopho quidem eas consideranti occasionem præbent dicendi esse universales, & fieri a brutis & pueris exercite, non vero signate ideas universales. Ad alia similia argumenta occurret semper facilis responsio, habendo præ oculis infantes, quorum operationes non inferiores iis, quæ ex brutis producuntur, nequeunt tribui vi intelligendi, quæ nondum in ipsis admittitur expedita.

363. III. Objicitur. Absterreri pœnis a malefaciendo, intelligentis est: hoc autem videmus in aliquibus brutis ut leonibus & lupis. Nam Rorarius refert apud Florianum Dalham, quod(1) *solent in Africa crucifigere leones, siqui deprehenduntur urbes obsidere, quod in senecta faciunt, quoniam ad persequendas feras vires non suppetunt, cujus poenæ metu, licet urgeat fames, desinunt.* Sed respondetur feras non accedere amplius ad ea loca prædandi caussa ex viso vitæ periculo in alterius sibi similis cadavere, non secus ac equos videmus declinare a via, in qua alter equus extinctus jaceat. Gratis igitur fingitur in brutis & feris cognitio supplicii pro patratis cædibus: falso etiam evidenter, quia eas alibi pro sua indole certissime ut prius exequuntur.

364. IV. Objicitur. Bruta sentiunt: ergo bruta habent intellectum. Nam Strato olim, ut habet post Plutarchum (2) Vallesius (3), orationem scripsit, quod sensus sine mente esse non possit: & deinde Tertullia-

(1) Da. Psych. de ani. brut.
(2) Plu. Terrestriane an aquatil.
(3) Va. Sacra Phil. c. 55.

lianus dixit, (1) *Quid erit sensus, nisi ejus rei, quæ sentitur, intellectus? Quid erit intellectus, nisi ejus rei, quæ intelligitur, sensus? Unde ista tormenta crucianda simplicitatis, & suspendendæ veritatis? Quis mihi exhibebit sensum non intelligentem, quod sentit? aut intellectum non sentientem quod intelligit?*

Resp. conc. ans, & nego conseqm. Ad Stratonem, qui ad eam comprobandam adducitur, dico ipsum docuisse non posse sensibus, organis materialibus, tribui perceptionem rerum, sed animæ hanc esse tribuendam, quæ sola habet vim cognoscendi, quam potuit aliquo modo, sive in aliquo sensu intellectum appellare, quemadmodum alii fecerunt, de quibus non multo infra meminero. Ad Tertullianum dico ipsum vel abusum esse vocabulo sensus pro cognitione experimentali, & vocabulo intellectus pro perceptione, vel non observasse, quod perspicuum est in amentibus & pueris longe plus esse intelligere, quam sentire, cum certum sit amentes percussos sentire, ut per hanc viam aliquando sani reddantur, vel saltem cogantur, minus insanos se præbere, quin tamen qui omnino amentes sunt quicquam intelligant. Similia dico de pueris nondum usum rationis habentibus.

365. Instant. Homo mente præditus non sentit, si mens non attendit ad ea, quæ sensus afficiunt: & ex Hippocrate ægrotat mente, qui non dolet, licet habeat doloris caussas, vulnerationem aut combustionem: ergo non est sensus sine mente.

Resp. dist. primam antecedentis partem: non sentit homo, si mens non attendit ad ea, quæ sensus afficiant, sumpta mente prout realiter non distinguitur in homine ab anima, *conc.* hanc partem: sumpta mente prout est vis intelligendi distincta per rationem ab anima, *nego* hanc partem, vel potius suppositum, quod hæc requiratur ad sensationes. Similiter *dist.* secundam partem: Juxta Hippocratem mens hominis ægrotat, si non doleat vulneratus, sumpta mente metonymice, scilicet pro cerebro sede mentis, vel pro penitioribus capitis partibus, quibus anima indiget ad sentiendum, *conc.* hanc partem: sumpta mente in sensu proprio, *nego* hanc partem; Nam sicuti ex nuper dictis mens in insanis ægrotat, etsi doleant vulnerati, ita etsi apoplecticus mente proprie sumpta non ægrotat, poterit in aliqua parte corporis læsus & vulneratus non dolere.

366. V. Objicitur. Bruta habent animam spiritualem: ergo & intelligentem.

Resp. conc. ans, & nego conseqm, quæ jam olim referente Suarez (2) agnita fuit ut illegitima a Theologis, qui rejecerunt inter incertas hanc propositionem, omnis substantia spiritualis est etiam intellectualis. Quin immo quotquot ex Theologis dicunt habitus virtutum supernaturalium, qui

(1) Ter. de Anima c. 18.

(2) Sua. Metaph. di 30. sec. 14. n. 10.

qui nobis in juſtificatione divinitus infunduntur, eſſe quaſdam qualitates ſpirituales, totidem affirmant non ſolum intelligendi vim, ſed ne illam quidem cognoſcendi neceſſario conjungi cum attributo ſpiritualitatis; neque enim dicent eos habitus habere vim cognoſcendi. Præterea ſi adverſarii ſuo hoc argumento vellent brutorom cognitiones utpote ab anima ſpirituali, aliquando ſaltem habere etiam attributum intelligentis, errare ſe agnoſcent, quoties advertant nullam ex cognitionibus amentium & puerorum qui adhuc extra uſum rationis ſunt, poſſe in gradu intellectionum collocari. Minus itaque caſtigate loquutus eſt Leſſius, dum dixit (1) *omnem ſubſtantiam incorpoream neceſſario intelligentem eſſe, ut Philoſophi docent*, quaſi vero in iis nemo æſtimabilis unquam fuerit, qui huic doctrinæ non contradixerit. Nunc vero nequis jure dubitare poſſit de illius falſitate, facit argumentum ſupra (n. 159.) propoſitum, quod ſit injurioſum Divinæ Potentiæ affirmare, quod non poſſit facere aliquid ſpirituale, quod non ſit intellectuale, ſeu non ſit aut Angelus aut anima hominis.



(1) Le de Provid. n. 18.

PROPOSITIO X.

Anima brutorum caret libertate a necessitate.

ARTICULUS I.

Argumenta pro propositione.

367. 
ANC propositionem accurate juvat probare, tum quia magis extabit absurditas sententiæ de æqualitate inter brutorum & hominum animas: tum quia existunt aliqui, ut Montagne ceteroqui in aliis Scepticus, qui aperte liberum arbitrium brutis convenire censuerunt, & hoc in illis jam olim visi sunt supposuisse, qui dixerunt (n. 167.) *in sæculo venturo retributionem* ipsis paratam de calamitatibus, quas in hac vita passa fuerunt innocenter.

368. I. Sic arguitur. Libertas a necessitate, quæ aliter dicitur libertas indifferentiæ, arbitrium voluntatis & liberum arbitrium importat substantiam præditam vi intelligendi; Nam hæc libertas definitur facultas animæ, qua omnibus instructa ad agendum requisitis potest illud agere aut non agere. Inter hæc autem requisita est cognitio boni & mali in linea tam physica quam morali, quod cum ea operatione vel ejusdem omissione conjungitur, & proinde est etiam in his requisitis consultatio quædam secum habita de actione, ad quam illicitur, vel a qua retrahitur, considerando & comparando inter se rationes, quæ pro utraque sint parte, in quo habetur operatio propria intellectus: sed bruta non habent intellectum (n. 326.): ergo bruta non habent libertatem a necessitate. Hoc argumentum communiter adhibetur tamquam demonstrativum a Patribus, ut Augustino, cujus est illud, (1) *Omnis anima irrationalis non habet voluntatis arbitrium*: tum a Theologis, qui passim cum S. Thoma (2) docent *agere judicio sed non libero animalia bruta*: tum a philosophis, qui bruta numerant inter agentia solum physica ad differentiam hominis, cui tribuunt esse agens etiam morale, hoc est posse operari cum cognitione boni & mali moralis, in quo propugnant haberi attributum homini intrinsecum, & etiam essentiale contra illos, qui hoc negant., ut nuper fecit Samuel Puffendorfius a Massario (3) impugnatus.

369. II. Ideo dicendum esset bruta habere libertatem a necessitate

(1) Au. Gen. ad lit. l. 11. c. 28. n. 35.
(2) Th. 1. p. q. 83. ar. 1.
(3) Ma. Relig. natur. n. 436.

te saltem circa ea, quæ sunt intra sphæram vis cognoscitivæ, quæ in illis apparet satis limitata, quia negari non posset illa cognoscere finem & operari propter finem, quod importat cognoscere, quæ sint media ad finem, & hæc eligere & applicare: Sed negari hoc reipsa potest & debet: ergo. Minor probatur, quia bruta ostendunt se dumtaxat cognoscere aliquid, quod est finis intentus ab alio, sed non a se ipsis, & ad illud tendere per determinationem circa media adhibenda acceptam ab eodem extrinseco intendente, non a se electa, & sine ulla cognitione proportionis talium mediorum ad eum finem ex jam dictis (n. 343.), quæ confirmo obvia observatione, quod nunquam appareat in brutis ne indicium quidem consultationis, quæ importat inquisitionem mediorum, quæ sint magis opportuna ad finem, sed omnia videmus operari tamquam aliunde sibi præscriptum sit, quid peragere debeant.

370. III. Caret libertate a necessitate agens expers vi cognoscendi bonum honestum. Tolle enim a quavis operatione quantumvis objective honesta prælucentem in operante cognitionem hujus honestatis, jam operans nullam ex ipsa meretur laudem: Sed quodvis brutum expers est vi cognoscendi bonum honestum: ergo quodvis brutum caret hujusmodi libertate. Minor probatur cum Sfortia Pallavicino (1), quia bruta evidenter carent vi eliciendi cognitiones quasdam sublimiores: sed in his maxime sublimis est cognitio boni honesti; Nam hæc omnium maxime independens est a materia, utpote quæ non nascitur ex obvia illatione eorum, quæ per sensus percipimus, aut per experientiam animæ manentis in corpore: ergo bruta carent cognitione boni honesti. Hoc argumentum ostendit originem efficaciæ alterius, quod sic habet. Non est liberum a necessitate agens, quod numquam laudatur vel vituperatur propter suas operationes tamquam honestas vel turpes: Sed bruta nunquam laudantur vel vituperantur propter suas operationes tamquam honestas vel turpes: ergo bruta non sunt libera a necessitate.

371. IV. Cum eodem Pallavicino (2). Bruta non debuerunt habere libertatem a necessitate: ergo non habent. Antecedens probatur, quia creata illa sunt in usus hominum quorumcunque etiam rudium, cum qua essentiali proprietate bene quidem componitur limitata varietas motuum pendentium non solum a circumstantiis præsentibus talis loci & temporis, sed ab iis etiam, quæ quamvis tam loco quam tempore remotæ sint, fiunt tamen iisdem præsentes a memoria sensationis jucundæ vel molestæ, quam alias experta sunt: nullo autem modo componeretur potentia variandi suas operationes, qualis nasceretur a libertate excludente necessitatem illarum; hæc enim admitteret deliberationem, & innumeras cognitiones non alligatas solis circumstan-

(1) Pall. in 1. 2. di. 7. qu. 1. ar. 6. n. 4. (2) Pa. in 1. 2. di. 2. q 1. ar. 2. n. 6.

ſtantiis præſentibus, & quadam de præteritis memoria, ſed extenſas etiam ad futurum prævisum, atque per diſcurſum perfectum collectis. Quare non poſſet jam quivis etiam rudis facile per appoſitionem circumſtantiarum determinare motus brutorum, & per brevem aliquam notationem & inductionem eos præſcire, ſicuti videmus quotidie fieri.

372. V. Cum eodem (1), & Noghera (2) ſic arguitur. Quæ operantur ſemper modo uniformi, & in iis, quæ videntur artificioſe facta, ſervant regulas uniformes, illa oſtendunt ſe non habere libertatem a neceſſitate; Nam quia hominibus ineſt hæc libertas, ideo in his contingit, ut quæ pertinent ad eorum victum veſtitum ornamenta habitationes conſuetudines, diverſa inveniantur non ſolum pro diverſis temporibus & regionibus, ſed in iiſdem etiam urbibus & domibus, quin immo in iiſdem hominibus pro diverſis etiam horis. Atqui bruta operantur ſemper modo uniformi quantum ad ſubſtantiam operationis juxta ſupra (n. 65.) dicta, & ſecundum regulas ſimiliter unformes; Qui enim nunc obſervat, quid apud nos faciant cujuſvis ſpeciei cicures vel ſylveſtres beſtiæ, quid inſecta, formicæ apes bombices, quid aves, jam novit, qui anteactis ſæculis fuerint mores omnium ſimilium brutorum: nec fallitur, ſi eoſdem credat ineſſe iis, quæ nunc vivunt in regionibus toto orbe inter ſe diſtantibus, eoſdemque habitura, quæ in poſterum uſque ad finem hujus noſtri mundi naſcentur: nec dubitat tenues varietates, quæ circa horum adjuncta ſe tenent, ut ſupra (n. 67.) explicavi, pendere a quibuſdam cauſſis ignotis nobis, non a libertate, non ſecus ac non in libertatem arboris, ſed in circumſtantias particulares refunditur, quod arbor aliqua emittat ramos diſtortos, vel fructus producat figuræ minus perfectæ, vel a ſolita figura aliqua ex parte aberrantes; Tenuis enim evidenter eſt hæc diverſitas. Ex quo fit ut brutorum operationes ita nos divinemus, ut nulla ipſorum ſpecies poſſit ab homine ſe tueri, qui velit eam capere & ſibi ſubjicere juxta illud, quod ſcriptum eſt (3) *Omnis natura beſtiarum & volucrum & ſerpentium & ceterorum domantur, & domita ſunt a natura humana*. Quod admiratus eſt apud Plutarchum Euripides (4) canens:

Vires exiguæ mortalium
Sed calliditate multiplici,
Belluas maris & terreſtria,
Et ſub Cælo volitantia,
Omnia homo domat.

Ergo bruta non habent libertatem a neceſſitate. Conſequentia urgetur, quia Philoſophia clamat certum omnino eſſe particulares rerum ſpecies carere iis facultatibus, quæ nullum unquam nec effectum nec ſui indi-

(1) Ibi. diſ 3. qu. 1 ar 3. n. 3.
(2) No. Riſl. ſu la nat. um. 8.
(3) Jac. Epiſt c 3. v. 7.
(4) Plu. Terreſtriane an aquatilia.

dictum in nullo individuo protulerint, quippe Deus nihil frustra operatur.

373. Elevat hoc argumentum Bibliotheca Britannica (1) quia inquit uniformitas actionum sæpe est argumentum magnæ sapientiæ; ergo uniformitas in brutorum actionibus non concludit ea carere libertate.

Resp. dist. ans. Si aliunde constat ens quod operatur uniformiter & quidem bene, esse capax sapientiæ & liberum, *conc. ans*: secus *nego ans & consqm.* Evidens est solam uniformitatem in agendo non sufficere ad laudem sapientiæ, aliter sapientiam tribuemus lapidibus quia sibi relicti per lineam rectam semper cadunt: & præterea evidens est eam uniformitatem debere esse in actionibus quæ laude dignæ sint; uniformitas enim in male agendo est argumentum confirmatæ improbitatis, non sapientiæ.

ARTICULUS II.

Objectiones.

374. I. Objicitur. Accidit non raro in aliquibus brutis, ut in equis & mulis, quod præfracte recusent procedere, qua possent, etiamsi urgeantur ingeminatis ictibus, & aliquando vix tandem applicato igne a sua pervicacia removentur: Sed hoc non accideret, si carerent libertate a necessitate; Videmus enim, quæ sine controversia hac libertate carent, ut sunt meræ machinæ, toties præseferre in se easdem mutationes, quoties eodem modo ab extrinseco impellantur: ergo bruta habent libertatem a necessitate.

Resp. cum Pallavicino (2), *conc. maj. & nego min.*, quæ quoniam continet duas partes, quæ sunt in majori, ad quam refertur, si consideremus secundam, quæ dicit vinci tandem pervicaciam brutorum, ex hac contra objicientis propositum infertur carere bruta libertate a necessitate, postquam habemus in hominibus sine controversia hac libertate præditis innumera exempla constantiæ in suscepto consilio usque ad mortem per immanes etiam cruciatus propinatam. Sin autem consideremus primam, quæ est de brutorum pervicacia, quæ resistit ingeminatis ictibus, nego hinc brutorum controversam libertatem probari: Et quidem optimo jure; Nam similis pervicacia apparet non raro in amentibus & in pueris longe adhuc ab usu rationis distantibus, adeoque non habentibus libertatem a necessitate.

375. Quid autem sit, quod interea retrahat tam bruta quam amentes & pueros ab operando, quod ab illis vellemus, ille determinabit, qui cognitiones & appetitiones illorum introspiciat. Erit quidem aliquid

(1) Bi. to. 4. p. 2. ar. 2.

(2) Pa. in 1.2. di. 3.q.1. ar. 3. n. 4.

quid vel jucundum vel molestum sibi repræsentatum vel a memoria præteriti, vel ab imperfecta præsentium visione, vel a delirante imaginatione. Nonne videmus quævis bruta alioquin morigera non posse induci quibusvis verberibus ad iter prosequendum, ubi vel præcipitium vel flammæ, vel aliud occurrat impedimentum, quod sibi lethale apprehendant. Coniice par delirium pati tunc equos & mulos, & omnis aberit de ipsorum pervicacia admiratio. Ceterum ipsius caussa determinata ignota nobis est, & in hac ignoratione fundatur illa, quam S. Thomas vocavit similitudinem liberi arbitrii, (1) *est in brutis quædam similitudo liberi arbitrii, in quantum possunt agere vel non agere unum & idem secundum suum judicium; possunt enim agere, si judicant esse agendum, vel non agere, si non judicant*. Exemplo autem machinarum nihil importunius. Bruta enim habent modum operandi ordinatum ad illorum vitam tuendam, adeoque pendentem a cognitione & appetitu elicito, quæ cum pro diversis circumstantiis varia sint, varietatem etiam in ipsorum operationibus inducunt. At machinæ habent modum operandi ordinatum non ad ipsarum bonum, sed nostrum, adeoque independentem ab ipsarum cognitione, quæ in ipsas non cadit, & determinatum ad unum, prout extrinsece certis modis satis limitatis moventur.

376. II. Objicitur. Cardinalis Gaspar Contarenus, cujus insignes in omni genere virtutes, quas Card. Pallavicinus (2), & alii citati a Comneno Papadopoli (3) commemorant, adæquate complexus est Paulus III. in Bulla Indictionis Concilii Tridentini an. 1542, tribuens illi *summam doctrinam & integritatem*, admisit arbitrium in brutis extensum ad ea, circa quæ versari potest illorum vis cognoscitiva; In tractatu enim *de Libero arbitrio* per modum epistolæ scripto, quem cum aliis tribus literis vidi etiam Italice editum Florentiæ an. 1558, dicit (4) *in brutis arbitrium agnoscere possumus*, Idem sentit Sbaraglius, & probat etiam ex electione, quam in quibusdam ipsorum actibus observat. Nonne inquit (5) videmus feles, dum circumeunt mensas instructas carnibus vel piscibus præsertim assis vel frixis abstinere a projecto pane; quo ceteroqui alias vescuntur? Ecquis præterea dicat araneam non solum esse determinatam ad telæ compositionem, sed etiam ad circumstantias talis loci & temporis (6) *potius die quam nocte, potius sursum quam deorsum, potius in situ aquilonari, quam meridionali?* His consonant, qui in brutis agnoscunt libentiam, vel ut ajant spontaneitatem, vel negationem coactionis, in quibus fuit Cartesius, cum nondum fortasse sententiam de puro

(1) Th. Qu. disp. de Verit. q. 24 ar. 2.
(2) Pa. Stor. del Concil. l. 4. c. 13. n. 1.
(3) Pa. Hist. gymn. Patav. to. 2. l. 4. n. 84.
(4) Con. Operum. p. 958. ed 1571.
(5) Sb. Anim. brut. di. 1. c. 3. se. 3. pag. 15.
(6) Id. ibid. se. 4.

puro mechanismo esset amplexus, (1) *Liquet*, inquit, *animalia irrationalia non esse libera, inestque illis mera tantum negatio coactionis*: ergo non potest absolute excludi a brutis omnis libertas a necessitate.

377. *Resp. omitto ans & nego conseqm*, cujus falsitas extra controversiam ponitur ab adductis pro propositione rationibus, & auctoritatibus omni exceptione majoribus. Ceterum ne objecti quidem Auctores nobis revera opponuntur. Contarenus enim post allata verba expresse addit liberum non esse arbitrium, quod in brutis apparet. Et Sbaraglius non aliam admittit in brutis libertatem, nisi illam quam didicisse se dicit a S. Thoma nuper (n. 375.) citato, cujus loquendi modum alii deinde imitati sunt, ut Yvon (2) & olim Bellarminus, qui ait (3) *certum est animantia rationis expertia prædita esse quadam imagine, & quasi adumbratione liberi arbitrii*. Quare arbitrium & electio dum dicuntur de brutis, accipienda sunt pro vi activa, quæ aliquando non determinatur a sensationibus ut ita dicam vulgaribus & patentibus propter caussas, quæ utinam semper conjici possent, sicuti cognoscuntur in allato felium exemplo, in quo intelligimus infirmiores reddi sensationes, quas a proposito pane patiuntur, a desiderio & expectatione cibi, quem experientia norunt jucundiorem: Spontaneitas autem dicitur contraposite ad principium extrinsecum, adeoque significat dumtaxat proprietatem fundatam in principio intrinseco agendi, proprio entis cognoscitivi, & præscindit ab eo, quod hoc principium sit vel non sit liberum a necessitate.

378. III. Objicitur. In brutis reperiuntur virtutes & vitia; Nam communiter accusantur vulpes de astutia, lupi de voracitate, tigres de sævitie, vespæ de iracundia, muscæ de importunitate. Plinius commendat in elephantis pudorem, in leonibus generositatem, in delphinis benevolentiam hominum. Quammulta de gruibus canibus equis passim celebrantur argumenta pietatis fidelitatis fortitudinis. Quam sæpe etiam philosophi vitia hominum oppositis brutorum exemplis exagitant. Ipsæ Sacræ Literæ proponunt nobis prudentiam serpentum, & simplicitatem columbæ tamquam exempla imitanda: ergo bruta habent libertatem a necessitate; Nam nec virtus nec vitium sine illa datur.

Resp. cum Noghera (4), *dist. ans.* In brutis reperiuntur virtutes & vitia materialiter talia, *conc. ans*, formaliter talia, *nego ans & conseqm.* Notum est ad rationem actus virtutis aut vitii formaliter talis requiri præter alia, ut fiat ex bono fine, adeoque ex cognitione motivi cuique virtuti proprii, cujus cognitione utpote extra genus rerum sensibilium expers est omne brutum. Hoc profecto vidit Tullius, dum dixit (5) *in bestiis*

(1) Car. Epist. pa. 1. ep. 115.
(2) Yv. in Ency. ar. Ame des betes.
(3) Be. de Gra. & lib. arb. l. 3. c. 15.
(4) Nog. Rifl. 5. su la Nat. uman.
(5) Tu. de Fin. l. 5. n. 14.

bestiis inest aliquid simile virtutibus, non vero virtus absolute. Ipse modus constans & uniformis, quo bruta exercent virtutes & vitia enumerata, ostendit determinata eadem esse ad hujusmodi exercitia, quod non solum confirmat, nihil in iis esse virtutis & vitii nisi materialis, sed etiam concludit non fieri cum libertate a necessitate.

379. IV. Objicitur. Præmio aut pœna afficere bruta propter aliquas ipsorum operationes, est libertatem ad eas peragendas in illis agnoscere: Sed homines communiter præmio aut pœna afficiunt bruta propter aliquas ipsorum operationes: ergo homines communiter agnoscunt libertatem in brutis ad aliquas ipsorum operationes. Minorem demonstrant venatores, qui blandiuntur canibus prædam integram deferentibus, eosdemque rursus puniunt, si secus faxint: equorum magistri, qui ipsis plaudunt compositos passus exercentibus, & verberant, si erraverint: bubulci, qui amice agunt cum bovibus bene arantibus, & clamoribus ac stimulo delirantes coercent: quotquot domi habent feles, male eas accipiunt, si penum ad furandum ingrediantur. Mitto Romanos, qui alimenta in perpetuum sanciverunt anseribus propter vigilantiam, cui Capitolii conservationem ab irruptione per noctem tentata a Brenno Gallorum Senonum duce fassi sunt se debere, & alios qui ex dictis (n 363.) suspendunt in publicis viis lupos & leones grassatores.

Resp. dist. maj. Si sermo sit de præmio & pœna sumptis in sensu proprio, qui importat rationem meriti, *conc. maj.* si autem sumantur in sensu figurato, *nego maj.*, & simili distinctione excepta minori, *nego consqm.* Igitur communiter homines non sequuntur rationem veri præmii, aut pœnæ in iis, quæ in bonum vel malum brutorum faciunt, sed rationem aut illicii, aut terriculi, quod dicendum de venatoribus & bubulcis & domesticis. Aliquando autem ne de hoc quidem cogitant, sed de monumento prosperi alicujus eventus, ut dici debet de decreto Romanorum circa anseres. Quando autem quis circa bruta se eo modo gereret, intendens verum præmium conferre aut pœnam, is eodem loco habendus esset ac Xerses, dum mare propter dirutum pontem flagellis cædi imperavit.



PRO-

PROPOSITIO XI.

Anima brutorum nullam cognoſcit pulchritudinem.

380. Anc propoſitionem aperte olim affirmavit Cicero dicens (1) *Vnum hoc animal* homo *ſentit quid ſit ordo, quid deceat. Itaque eorum ipſorum quæ aſpectu ſentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem venuſtatem convenientiam partium ſentit*. Gellius item dixit, voluptates ex viſis & auditis provenientes (2) *hominum tantum propriæ videntur*. S. etiam Ambroſius, dum ait (3) *Erigit bucula ad cælum oculos, ſed quid ſpectat, ignorat. Erigunt feræ, erigunt aves, omnis eſt liber aſpectus, ſed ſoli ineſt homini eorum, quæ aſpicit, affectus interpres. Audiunt animantes cæteræ, ſed quis præter hominem audiendo cognoſcit*, excluſit a brutis cognitionem omnis corporeæ pulchritudinis.

381. Alii deinceps his veteribus acceſſerunt. Itaque Hieronymus Oſorius noſtram propoſitionem ſic expolivit (4): *Ex omni genere animantium nullum eſt præter hominem, quod pulchritudinis elegantiam ſentiat; reliqua enim cantorum ſonos auribus accipiunt, harmoniam autem ex varia compoſitione ſonorum haud aſſequuntur. Ita & in formis magnitudinem atque colorem vident, ipſam vero partium convenientiam, & aptam corporis compoſitionem intueri non poſſunt. Ex quo ſequitur deformia a pulchris, humana tantum natura atque ratione diſtingui*. Idem ex iisdem rationibus concludit Boſſuetus (5), & Jo. Baptiſta Noghera (6). Idem arbitratus eſt Ivo Andre in ſuis de Pulchro celeberrimis ex alibi (7) dictis ſermonibus eſſe extra controverſiam, (8) *ſine dubio*, inquit, *dabunt omnes pulchritudinem tam ſenſibilem, quam intelligibilem non poſſe apprehendi niſi ab anima rationali*.

382. At de illius veritate dubium ſe profeſſus eſt Buffierius in ſuis ad citatum Ciceronis locum obſervationibus (9). Crouzas autem & Hutcheſonius referente Formeio (10) illam negarunt. Et primus quidem abſolute tribuit brutis ideam pulchritudinis, *etſi minus claram illa*, quam homines habent. Secundus vero non videt, quid aperte excludat a brutis ſenſum internum pulchri, quem perperam ut alibi (11) oſtendi, ſtatuit

Z 2

(1) Ci. de offici. l. 1. c. 4.
(2) Ge. Noct. att. l. 19. c. 2.
(3) Am. Hexa. l. 6. c. 9.
(4) Os. de gloria l. 3.
(5) Bo. Conno. de Dieu. c. 5. n. 11. & 56.
(6) No. rifle, 5. ſu la nat. umana.
(7) De Pulchro n. 5. edit. 2.
(8) An. le Beau. c. 1.
(9) Bu. Soc. civ. Obſe. ſur. Cic. n.761.
(10) Fo. l' eſſai du P. Andre. pag.27.
(11) De Pulchro n. 65. edit. 2

tuit esse potentiam quamdam animæ ab omni alia per rationem nostram distinguendam, etsi in brutis fatetur esse nostra imperfectiorem.

383. Ante istos Marinus de la Chambre Parisiis mortuus anno 1669 ætatis suæ 75 in magna celebritate magnæ in medicina, philosophia, & humanioribus literis doctrinæ, multis etiam ab eo editis libris confirmatæ, dedit brutis cognitionem pulchritudinis visibilis & audibilis, limitatam ad illam, quæ propria est suæ ipsorum speciei. Atque hæ sunt ipsius rationes. Prima, quia pulchrum dicitur, quod delectat visum aut auditum propter proportionem, quam illud habeat cum his sensibus (1): Sed bruta delectantur in visu eorum quæ in sua specie sint bene conformata: ergo bruta cognoscunt hanc pulchritudinem. At dissimulata consequentia, quæ evidenter est immatura, negari imprimis debet major; Nam notio pulchritudinis præcipue importat cognitionem bonitatis objecti, atque hanc opus esset ostendere esse in brutis. Deinde falsa est etiam minor; Nam positis ante aliquod brutum, puta equum, pluribus equis, quorum aliqui sint aliis pulchriores, ille nullum indicium tribuit de hujusmodi cognitione, per quam homo unum alteri præfert.

384. Secunda ejusdem ratio est, quia videmus canes & feles partus suos extra eorum quasi cunas adsportatos ad easdem referre incipientes semper a pulchrioribus: videmus præterea luscinias indulgere cantui, quod nequit tribui nisi delectationi, quam in eo percipiant, delectatio autem plane est effectus pulchritudinis, quam in hoc cantu nos admiramur. At ipse idem hanc suam rationem evertit, dum hæc dicit provenire ab instinctu, qui non arguit hanc cognitionem. Eamdem excludet etiam qui observet canes & feles non agnoscere suos partus nisi pro tempore, quo ipsi ne pereant, indigent eorum cura, & luscinias non canere nisi certis anni temporibus, non secus ac faciunt aliæ aves, quarum cantus est ingratus & horribilis.

385. I. Interea propositio sic probatur. Intelligentis est cognoscere ordinem, quem inter se habent partes alicujus totius, sicuti intelligentis est ipsum constituere: Sed pulchritudo importat hunc ordinem: ergo intelligentis est pulchritudinem cognoscere. Atqui anima brutorum non est intelligens: ergo non cognoscit pulchritudinem.

386. II. Bruta pulchritudinem spiritualem profecto non cognoscunt; Nam hæc ad sui cognitionem requirit intellectum, quo carent bruta: Non vero corpoream sive audibilem sive visibilem, quæ sunt duæ solæ ipsius species ex dictis alibi (2), quia objecta visus & auditus nequeunt excitare in brutis ullam cognitionem, per quam ipsa oblectentur, sicuti opus

(1) Ch. Amitie & haine entre les animaux. p. 1. ar. 1.

(2) De Pulchro n. 105. edi. 2.

opus esset juxta notionem pulchritudinis, quæ postulat cognitionem distinctam partium, quæ sunt in objecto, earumque aptæ inter se connexionis. Itaque videmus imperitos picturæ, musices, aliarumque liberalium artium nihil commoveri ab iis artificiis, quæ alii earum artium periti vel celebrant tamquam pulcherrima & admirantur, vel vituperant tamquam deformia & stomachantur.

387. Confirmatur hoc argumentum ex canibus, qui ex brutis perfectioribus sunt, quos videmus odoratu magis quam visu dominos suos agnoscere; Non enim fiunt certiores abesse illos ab aliquo loco, ubi eos cum multis aliis reliquerint, vel illic esse, quo imaginantur ivisse, nisi postquam singulis naso pertentatis non invenerint odorem qui suis dominis proprius est. In quo habemus luculentum testimonium, quod objecta visus, in quibus residet pulchritudo visibilis, minus efficacia sunt ad canum motus determinandos objectis odoratus. Eosdem constanter videmus non discedere a suis dominis licet pannosis & deformibus, ut pulchris & eleganter indutis adhæreant, vel rusticas casas relinquere, aut minus amare, postquam in principum ædibus magnificis fuerint: videmus pariter aves, quæ ex insectis vivunt, non retardari a prædatione eorum, quæ alas explicent auratas, & accipitres æquali modo irruere in volucres pennarum varietate spectabiles, ac in pullos seminudos: ergo non apprehendunt bruta proportionem partium, nec ex ejus perceptione formant sibi regulas, quibus pro oppurtunitate utantur. Sed pulchritudo visibilis hanc proportionem includit & præsefert: ergo bruta pulchritudinem visibilem non cognoscunt.

388. Similiter concludimus non cognoscere pulchritudinem audibilem. Imprimis enim bruta quævis terrentur potius quam oblectantur a strepitu musicorum instrumentorum, quorum patientes sola reddit consuetudo. Singulare profecto est, quod Anglus Lockman in animadversionibus circa musicam impressis Londini anno 1741, de quibus meminerunt etiam Notitiæ literariæ Transalpinæ (1) narrat de columbo, qui quoties egregia sui temporis cymbalistria certam cantiunculam sonaret, toties prodibat e proximo columbario, & ad locum sonitus propius accedebat, ibique persistebat, donec illa pulsaretur, ita ut fuerit in posterum appellata cantiuncula columbi. Finxerat jam Pindarus in laudem excellentis musicæ fulmen Jovis, quod ejus aquila nescio quo jussa erat deferre, extinctum fuisse, dum ipsa volatum suspendit ut cantu in quem casu incidit frueretur, quæ profecto ab anglo columbo superata est, quippe historiæ præstant fabulis. Quoniam tamen solus hic ex omnibus columbis accedebat, & quidem ad hanc unice cantiunculam, ex alia omnino caussa id evenisse planum est, quam ex cognita pulchritudine talis sonitus. Ea fortasse fuit in eo organizatio, qua mulceri se sen-

(1) No. 10. 2. p. 1. ar. 26.

sentiret singulari modo ab eo sonitu, quemadmodum ad illum buccinæ equus in bello (1) *exultat audacter, & in occursum pergit armatis.*

389. Deinde quis dicat bruta pulchritudinem audibilem gustare, cum quotidie videamus rapaces aves æque excitari ad venationem a moduiato philomelæ cantu, ac a molesto gallorum stridore. Valeant igitur poetæ, qui sylvarum ursos ad Orphæum, & maris delphinos ad Arionem accurrentes describunt, violenter attractos a suavitate soni quem a suis quisque cytharis eliciebat. Sed neganda his non est hæc fingendi potestas, postquam illam sibi usurparunt videndi per imaginationem ipsa saxa circa Amphionem, dum Apollineam lyram sonaret non solum congregari, sed modo tam ordinato saltitare, ut in concinnam tandem urbem apparuerint composita. Ecquis præterea dubitat qualcunque jucundas vel ingratas brutorum voces, & aliquorum etiam suaves modulationes esse inter singulorum ingenitas proprietates, adeoque emissas ex naturali impetu, non secus ac ex hoc ad diversos identidem motus determinantur, quandoquidem sicuti nihil umquam artificiosum in brutorum motibus naturalibus est observatum, quod ipsa sibi studiose comparaverint, ita neque in eorum vocibus.

390. Tandem nullibi unquam visa sunt ulla bruta manibus etiam instructa ut simii & ursi aliquid saltem analogum musicis instrumentis inquirere aut tractare, cum interea quævis gentes quantumvis barbaræ choreas suas, quæ apud omnes inveniuntur, quasi animent crotalis & crepitaculis, & fistulis tam simplicibus, quam compositis ex pluribus disparibus calamis, quæ Gilius (2) diu observavit, & audivit apud barbaros Orinochenses. Abest igitur a brutis omne studium harmoniæ, quia nulla concessa illis est apprehensio audibilis pulchritudinis.

391. Ex his quotidianis observationibus sic demum arguitur. In omnibus hominibus apparet sensus pulchri tam visibilis quam audibilis, sive hic proveniat a sola mente, qua præditi omnes sunt, quæ quidem est vera ipsius caussa, sive a propria ipsis organorum visus & auditus, totiusque corporis conformatione, quæ conditionis rationem habet, non caussæ, ita ut ipsos pueros observemus curiose intueri pompas & spectacula, & pulchris floribus, pictis imaginibus, concinnis vestimentis, & cantibus modulatis mirifice oblectari; ut alibi (3) magis declaravi: Atqui nihil horum videmus in brutis: ergo in brutis non est sensus ullius pulchritudinis.



PRO.

(1) Job. c. 39. v. 21.
(2) Gi. Str. americ. to. 2. l. 4. c. 37.
(3) De Bono. n. 45. edit. 2.

PROPOSITIO XII.

Anima brutorum habet vim apprehendendi, imaginandi, iudicandi, discurrendi, appetendi & recordandi limitatam ad obiecta sensibilia, quæ referuntur ad ipsorum victum, propagationem speciei, defensionem prolis, & vitæ conservationem.

ARTICULUS I.

Argumentum ex auctoritate Sacræ Scripturæ.

392. Acra Scriptura aperte tribuit brutis vim apprehendendi, imaginandi, judicandi, discurrendi, recordandi, & appetendi limitatam ad sensibilia modo in propositione enunciato: ergo habent hanc vim. En verba Scripturæ: (1) *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Oves* (2) *illum sequuntur, quia norunt vocem ejus, alienum autem non sequuntur, quia non noverunt vocem alienorum. Milvus* (3) *in cælo cognovit tempus suum.* In his expresse datur brutis ea cognitio, quæ conjuncta est cum quodam judicio, memoria, & amore sui commodi. Deus dixit Noe, ejusque filiis, (4) *Terror vester ac timor sit super cuncta animalia terræ.* Profecto lapides, machinæ, & universim quod non cognoscit, aut ita cognoscit, ut simpliciter apprehendat, nec quicquam imaginetur judicet aut appetat, non terretur. Iu Ecclesiastico legitur, (5) *omne animal diligit sibi simile: sic & omnis homo proximum sibi.* Hoc loco tribuitur omnibus btutis nata ex similitudine dilectio, cujus nos testes sumus in iis, quæ nobis nota sunt. Dilectio autem generice sumpta est quidam actus appetitus, quo concurritur ad bonum alterius, saltem malum ipsi non infertur: ad hos vero actus impar est sola unius cum altero similitudo, sed requiritur ejus cognitio. Hinc nemo vidit unquam in meris machinis quantumvis similibus ulla mutui amoris argumenta.

393. In libro Sapientiæ ursis & leonibus tribuitur audacia & ira, quæ imbibunt cognitionem ab judicio & actu proprio appetitus non disjunctam: (6) *Non impossibilis erat manus tua immittere illis multitudinem ursorum*

(1) Isa. c. 1. v. 3.
(2) Ioa. ca. 10. v. 4.
(3) Jer. c. 8.
(4) Gen. 9. v. 2.
(5) Eccli. 13. v. 19.
(6) Sap. 11. v. 8.

rum, *aut audaces leones*, *aut novi generis ira plenas bestias*. Quid est, quod dicitur (1) *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum*: & alibi, (2) *Similis factus est* (Judas Machabæus) *Leoni in operibus suis*, *& sicut catulus leonis rugiens in venatione*: (3) *Leo venationi insidiatur semper*. Nonne magnanimitas & fortitudo contra inimicos, & insidiæ venantium præseferunt cognitionem imaginationes judicium memoriam, & varias appetitiones? De cane Tobiæ domum redeuntis post longam absentiam, cum scriptum sit, (4) *Præcucurrit canis*, *qui simul fuerat in via*, *& quasi nuncius adveniens blandimento suæ caudæ gaudebat*, quis ei neget memoriam, & diversi generis cognitiones & affectus? Apud Job de equo dicitur, (5) *Procul odoratur bellum*, *exhortationem ducum & ululatum exercitus*: & de Aquila (6) *contemplatur escam*, *& de longe oculi ejus prospiciunt*. Apud Isaiam columbis meditatio, quæ est cognitio alicujus rei sponte aliquandiu retenta, tribuitur, (7) *meditabor ut columba*: & alibi (8) *Quasi columbæ meditantes gememus*. In Psalmis Sancti adhuc viventes dicuntur Deum desiderare, (9) *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*: de damnatis autem ad Inferos, quod (10) *famem patientur ut canes*: Quis autem non videt, quod ubi adsunt diversæ sensationes, quæ ad aliqnas operationes animal determinant, ibi est anima cognoscens imaginans judicans & appetens. Alias Scripturæ loquutiones congessit Augustinus Calmet, qui opportunum esse existimavit monere (11) *nequis vim illorum textuum urgeat*, *ut eadem cum homine ratione bruta uti inferat*, *& spiritum habere religioni*, *& noscendo Deo aptum*: *sed solum inferat bruta cognoscere*, *& ita aliud ex alio inferre*, *optare*, *prævidere*, *ut nihil videant super ea*, *quæ ad corpus pertinent*.

394. Purchotius (12), & Fortunatus a Brixia (13) hæc omnia putant se convenienter explicare dicendo sensum Scripturæ esse belluas cognoscere quantum ad apparentiam, seu ad effectum, non quantum ad rem ipsam, seu ad principium, quod sit vis cognoscendi, seu anima ipsis conjuncta. Ante illos confidentius Henricus Regis dixerat, (14) *verba Sanctorum Prophetarum nihil aliud velle*, *quam bruta ita vitam instituere*, *ut imperitioribus videantur cognoscere*. At hæc explicatio nequit habere locum in illo Isaiæ, *Bos cognovit possessorem suum*, *& asinus præsepe Domini sui*, quia ut patet ex toto contextu, & ex immediate sequentibus, *Israel autem me non cognovit*, illud primum dicitur ad exprobrandum Israe-

(1) Prov. 30. v. 30.
(2) Mach. 1. c. 3. v. 4.
(3) Eccli. 27. v. 11.
(4) Tob. c. 11. v. 9.
(5) Job. 30. v. 12.
(6) Job 39. v. 29.
(7) Isai. 38. v. 14.
(8) Ibid. 59. v. 11.
(9) Psal. 41.
(10) Psalm. 58. v. 7.
(11) Cal Dict. Script. ar. Bestia.
(12) Pur. Phys. p. 3. sec. 2. c. 1.
(13) Br Phys partic. di 2. se. 2. arg. 1. Sch.
(14) Reg. Fundam. Phys. c. 13.

Ifraelitis, quod Dominum Deum fuum non agnoverint, immo contempferint. Igitur neceffe eft, ut ea bruta revera & non apparenter folum habeant eas cognitiones; aliter, ut jam advertit Sbaçaglius (1), divinus fermo per veram contumeliam dicendus effet ridiculus aut falfus, utpote inflituens comparationem inter ea, quæ realiter non habent fimilitudinem in potentia cognofcendi, quæ eft fundamentum comparationis.

395. Obfervemus præterea cum Jo. Bap. de Benedictis (2) prædicari apud Job cognitionem equi aquilæ, aliarumque beftiarum ab ipfo Deo, poftquam difputantem Job cum amicis fuis de rebus naturalibus & moralibus his verbis interpellaverat, (3) *Quis eft ifte involvens fententias fermonibus imperitis*. Igitur adverfariorum explicatio non habet locum relate ad omnia ipfis objecta teftimonia, nifi per fummam abfurditatem dicant Deum imitari fermones vulgi imperiti eo ipfo tempore, quo eofdem interrumpit. Eadem rejicitur univerfaliter ex eo etiam, quod ut fupra (145.) monui cum toties Sacra Scriptura fignificet bruta cognofcere, nullibi adhibet alienationem hujufmodi terminorum a fenfu obvio, & aliunde non folum nihil urget ad illam adhibendam, fed tot eam excludunt argumenta, quot jam profequar, & quotquot illata funt contra purum brutorum mechanifmum, quæ habentur a peritioribus quin immo doctiffimis pro veris demonftrationibus.

396. Inftant. Si in fenfu proprio intelligendæ funt eæ loquutiones Scripturæ; dicendum erit bruta non folum habere cognitiones utcunque, fed illas, quæ conflant fapientiam & prudentiam; Nam fcriptum pariter eft, (4) *Vade ad formicam piger, & confidera vias ejus, & difce fapientiam. Eftote* (5) *prudentes ficut ferpentes*.

Refpondetur ne id inferamus cautum effe per alia teftimonia, quibus ex jam dictis (n. 340.) expreffe brutis negatur intellectus, fine quo altiores illæ cognitiones non habentur, quæ conftituant fapientiam & prudentiam proprie fumptas, five prout dicuntur de natura intellectuali. Sapientia enim proprie fumpta dicit amplitudinem ad diverfos actus, & objecta etiam infenfibilia, non vero limitationem ad unum aliquem, qui rurfus unice verfetur in fenfibilibus. Non eft igitur proprie fapientia in brutis, nec opus hic eft explicare, in quo fenfu fapientia aliqua tribui ipfis poffit, quandoquidem laudata verba non dicunt, difce fapientiam formicæ, fed difce fapientiam, quod intelligi debet de fapientia Dei, qui formicas inclinavit ad eas operationes, quæ fapientes ipfos doceant aliquam fapientiam.

397. Prudentia fimiliter proprie fumpta eft habitus operandi ex ratione fuadente conducentiam actionis ad bonum operantis, five ut per-

(1) Sba. di. 2. c. 3. fe. 2. pag 293. de Ani. brutor.
(2) Be. Difc. dell' Aleti. p.1. § 7. n.4.
(3) Job 38. v. 2.
(4) Prov c. 6. v. 6.
(5) Matt. 10.

vulgata Aristotelæorum definitio habet, est habitus cum ratione vera ad agenda ea dirigens, quæ homini bona sunt. Quare non est in brutis hujusmodi habitus, quoniam requirit consultationem & electionem circa motiva & finem operandi, actus scilicet vis cognoscitivæ perfectioris ea, quæ brutis concessa est. Hinc S. Thomas in citatum locum, *Estote prudentes*, expresse ait Christum Dominum locutum fuisse in figura, instruendo Apostolos. Figura autem est metaphora desumpta ex condecentia ad bonum singulis brutis proprium, quæ apparet in quibusdam eorumdem operationibus, quæ ex instinctu sunt naturali, quemadmodum observatur in iis, quæ ex prudentia homo operatur. Cum sæpius S. Thomas (1) hanc doctrinam tradat, satis est illum semel audire: (2) *Est perfecta prudentia in homine, apud quem est ratio rerum agibilium: imperfecta autem prudentia est in quibusdam brutis, in quibus sunt quidam particulares instinctus ad quædam opera similia operibus prudentiæ*. De aliis similibus Scripturæ locis, quæ possunt objici, supra jam (n. 341.) satis dictum est.

ARTICULUS II.

Argumentum ex auctoritate Patrum & Theologorum.

398. PAtres passim tribuunt brutis cognitiones imaginationes & actus cujusdam rationis seu discursus, & veras appetitiones, ac memoriam. Itaque S. Augustinus affirmate dicit (3) *Deus animæ irrationali dedit memoriam sensum appetitum, rationali autem insuper mentem, intelligentiam, voluntatem*. Idem admittit sensum internum in brutis, potentiam nimirum, quam in illorum anima saltem secundum rationem nostram distinguimus, quem dicit (4) *præferendum esse sensibus externis, quia moderator & judex quidam illorum est: & nulli dubium est, eum qui judicat, & de quo judicat esse meliorem*. Idem alibi (5) *unam* inquit, *bestiolam brevem minutissimam considera, quam volueris..... pro se fugit mortem, amat vitam, appetit voluptatem, devitat molestias, exerit sensus diversos*. Huc faciunt alia ex eodem supra (n. 16. & 47.) allata.

399. Arnobius Afer consentit solis hominibus datam esse rationem, si hoc nomine veniat, quod ipsi (6) *servent officiorum tenorem, abstineant ab illicitis, negotia turpia non obeant, nec pravitate consilii, atque ignorantiæ cæcitate contraria sibimet atque inimica deposcant*: At siquis

(1) Th. 1. p. q. 96. ar. 1. & in 1. 2. q. q. 13. ar. 2. & 2. 2. q. 47. ar. 15. & in 6. Ethi. lect. 6. & in 1. Metaph. lect. 1.
(2) Id. 1. 2. qu. 3. art. 6.
(3) Au. de civ. l. 5. c. 11.
(4) Id. de lib. arbit. l. 2. c. 3.
(5) Id. in Psa. 148 n. 10.
(6) Arn. adv. gent. l. 2.

siquis aliter rationem explicet, ut per sollicitudinem, quam de conservanda & tuenda vita habemus, jam instat, *quid animantia cætera hujus rei providentiam non habent? Nonne alia cernimus opportunissimis sedibus, nidulorum sibi construere mansiones: alia saxis & rupibus tegere, & communire suspensis: excavare alia telluris sola, & in fossilibus foveis tutamina sibimet & cubilia præparare?* S. Basilius observat bruta (1) *sensibus præsentia apprehendere, exactas certasque rerum præteritarum memorias prodere, gaudium & dolorem, & consuetudinis familiaritatisve cognitionem, & indigentiam alimenti, & innumeras id genus affectiones emissione suæ vocis indicare*. Lactantius, ut supra ab ipso (n. 47.) audivimus, ait bruta se mutuo dignoscere, cum aliis irasci, secum gratulari. Idem ait ea interdum ita se gerere (2) *ut aliquid humanæ intelligentiæ habere videantur*. Et alibi, (3) *Sunt animalia, quæ latibulis suis diversos, & plures exitus pandant, ut siquod periculum inciderit, fuga pateat obsessis, quod non facerent, nisi inesset illis intelligentia & cogitatio*, hoc est quid intelligentiæ simile, ut ipse idem advertit ex dictis supra (n. 342.)

400. III. Theologi omni exceptione majores eamdem nostram propositionem admittunt. S. Thomas passim docet bruta cognoscere, & judicare, (4) *Agunt*, inquit, *judicio, sed non libero animalia bruta; Judicat enim ovis videns lupum, eum esse fugiendum*. Hoc brutorum judicium non liberum alibi vocat judicium naturale, & judicium ipsis a Deo inditum, sicut illud quod liberum est homini proprium, vocat judicium rationis, (5) *Quorumdam*, inquit, *motus ex judicio rationis proveniunt, quorumdam vero ex judicio naturali: ex judicio rationis homines agunt & moventur, sed ex judicio naturali agunt & moventur omnia bruta .... Bruta non judicant de suo judicio, sed sequuntur judicium sibi a Deo inditum, & sic non sunt caussa sui arbitrii, nec libertatem arbitrii habent*.

401. Idem S. Doctor discursum quemdam iisdem aperte tribuit, Nam admittit alias perceptiones habere præter illas, quas immediate præcedit impressio ab objectis facta in sensibus: (6) *Avis*, sic ille, *colligit paleam, non quia delectat sensum, sed quia est utilis ad nidificandum: necessarium est ergo animali quod percipiat hujusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior*. Huc spectant, quæ sæpius dicit de ratione quadam in brutis apparente, (7) *Dicendum, quod omnia animalia habent quamdam participationem prudentiæ & rationis*: & alibi (8) *Bruta habent aliquam similitudinem rationis; quæ similitudo est*

 fer

(1) Basi. Hexam. hom 8.
(2) La. de Opific. c 3.
(3) Id. de Ira Dei c. 7.
(4) Th. 1. p. qu. 83. ar. 1.
(5) Th. de verit. q. 24. a. 1.
(6) Id. 1. p. qu. 78. art. 4.
(7) Id. 1 p. qu. 96. ar. 1. ad 4.
(8) Id. Qu. disp. de Verit. qu. 24. ar. 2.

secundum quod habent judicium ordinatum de aliquibus: sed hoc judicium est eis ex naturali æstimatione, non ex aliqua collatione. Expressius eamdem doctrinam sic proponit, (1) *Dicendum quod intellectu aliquo modo alia animalia participant per resonantiam, in quantum sentiunt, sicut & voluntate participant, in quantum habent appetitum sensualem*. & alibi inquit (2) *voluntarium secundum rationem imperfectam competit etiam brutis*. Idem tandem admittit in brutis diversas appetitiones ipsorum apprehensionibus respondentes, ut patet ex proximis testimoniis, & ex hoc præterea (3) *Animal brutum appetit naturaliter quamdam excellentiam, & irascitur contra ea, quæ illi excellentiæ derogant*. Quod verissime dici comprobant præsertim tauri & galli, qui de æmulis singulari certamine a se devictis manifeste gloriantur. Cum S. Thomam adduxerim, a labore alios adducendi supersedeo, quoniam planum est haberi omnes, qui illum ut Magistrum sequuntur, præter alios, qui ut Doctorem venerantur.

ARTICULUS III.

Argumentum ex auctoritate Philosophorum.

402. Antequam ullum in particulari philosophum propositioni faventem commemorem, innumerabilem produco multitudinem in Peripateticis, quorum celebris doctrina fuit bruta efficere sibi cognitiones rerum materialium seu sensibilium atque præsentium, & quæ proinde non habent pro objecto nec bonum nec malum morale, neque Deum nec res futuras, & multo minus æternas: & ad hunc finem docebant data iisdem esse organa quædam interna, iis similia, quæ crediderunt esse in nobis ex dictis supra (n. 102.), scilicet sensum communem, phantasiam, memorativam, æstimativam, de qua iuvat repetere illa S. Thomæ verba (4), *Aestimativa est in brutis hoc, quod est intellectus in hominibus. Sicut enim aliquis cognoscit per intellectum, quod non cognoscit per sensum, licet non cognoscat nisi accipiendo a sensu, ita æstimativa, licet inferiori modo*. Quid enim aliud hæ opiniones continent, quam id quod statuimus?

403. Venio ad expressos quorumdam philosophorum sensus, & primo dicam de antiquioribus. Cleanthes, Anaxagoras, Pythagoras. Plutarchus, dum ex dictis (n. 292, & 293.) in brutorum anima mentem quamdam & rationem agnoverunt, propositionem nostram complexi sunt, eamque unice illos credam docuisse, qui brutorum animas a no-

(1) Id. in 3. sen. di. 27. q. 1. ar. 4. ad 3.
(2) Id. 1. 2. q. 6. ar. 2.
(3) Id. 1. 2. qu. 47. ar. 2. ad 2.
(4) Th. de poten. anim. anim. c. 4.

nostris non distingui aperte non significarunt. Tullii sunt formulæ (1) esse in belluis sensum & appetitum ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero secernerent pestifera a salutaribus: datam quibusdam esse meditationem atque sollertiam: omnes summopere se custodire, & in partu circumspectare, & in cubilibus delitescere: & in hoc sensu sumi potest mens & ratio formicis attributa, ut supra (n. 342.) ex illo & ex aliis audivimus.

404. Plutarchus fuse impugnat illos qui brutis concederent solam vim sentiendi, alias autem negarent. Vis enim sentiendi nisi inserviat ad appetenda & procuranda, quæ sentienti prosint, & aversanda ac vitanda, quæ sibi noceant, frustra illi data esset a Deo, quin immo (2) *præstaret* inquit, *ea carere, quam doloribus & molestia affici, cum non sint declinandi instrumentum*: ergo si data est brutis vis sentiendi, data etiam est vis ipsi respondens judicandi & appetendi. Huc spectat illud Aristotelis (3) *Animalia cuncta unum ex sensibus habent tactum: atque cui sensus inest, & voluptas etiam & dolor & perceptio jucundi atque molesti. Quibus autem hæc insunt, ea cupiditatem etiam habent; hæc enim appetitio est ejus, quod efficit voluptate*. Galeni sunt hæc, (4) *An animantium generi, quod irrationale appellatur, nulla omnino data ratio sit, sane dubium est..... Ejus fortasse particeps omne genus animalium est, quamquam aliis parcius, aliis liberalius*.

405. Sed audiamus Doctores minus antiquos. Aliquos e Soc. Jesu prius commemoro, qui mihi occurrunt, quoniam notum est ipsos abhorrere a sententiis periculosis in fide, eorumque opera in lucem exire non solum post audita censorum judicia, quæ publica auctoritas ad typos requirit, sed alia etiam quæ sui ordinis superiores antea exegerunt. Itaque Franciscus Suarez postquam retulit esse, qui animas brutorum dixerunt esse rationales, de aliis meminit, qui (5) *in alium* inquit *errorem inciderunt, negantes bruta quicquam vere cognoscere aut appetere, quod æque absurdum est*.

406. Sfortia Pallavicinus scribens in primam secundæ S. Thomæ tenet belluas habere vim cognoscitivam limitatam (6) *ad recipiendas aliquas tantum formas, easque ignobiles & inferiores, & hanc ipsam perfectionem habere contractam ad indigentiam propriæ existentiæ, ita nimirum ut non recipiant externas formas, nisi quatenus hoc potest illis prodesse ad propagandam vitam, quam habent temporariam, & non æternam*. Idem negat tantummodo discursum perfectum, qui (7) fit per syllogismum fundatum in illis dialecticæ effatis, Dictum de omni, Dictum de nullo; *hunc enim*

(1) Tu. Nat. Deor. l. 2. n. 122. & seq.
(2) Pl. l. Terrestriane an aquat.
(3) Ar. de anim. l. 3. tex. 17. ex Argyropolo
(4) Ga. Orat. suasor. ad art. c. 1.
(5) Su. Met. di. 23. se. 10. n. 13.
(6) Pa. di. 1 q. 2. a. 2. n. 2.
(7) Pal. ibid. di. 2. q. 1. ar. 2. n. 11.

enim belluæ facere non possunt, quia nequeunt concipere hæc universalia, utpote præcisa a circumstantiis loci & temporis, a quibus ipsorum anima non potest præscindere. *De reliquo*, addit, *admitto in brutis aliquem discursum imperfectum, hoc est cognitionem unius objecti ortam ex cognitione alterius tamquam notioris. Ex. gr. ideo putat canis fore jucundum sibi cibum, quem videt, quia meminit alias se jucunditatem percepisse ex simili cibo. Videmus enim quod ante hujusmodi experientiam non magis afficiebatur ad hoc objectum tali vel tali modo figuratum aut coloratum, quam ad alia huic dissimilia*.

407. Cohærenter ad hanc doctrinam, de principiis quibusdam, cujusmodi est hoc, si postquam certa res posita est, certam aliam rem extitisse semper experti sumus, illa hujus caussa fuit, dicit (1) *ea non hominibus modo, sed etiam belluis innotescere. Quocirca manum illam lambunt, qua sibi admota voluptatis aliquid perceperunt, aliam contra mordeat, qua sibi admota dolore sunt icta. Quippe id eis experimento liquet ejusdem modi voluptate aut dolore nunquam se affectas, nisi aliquo sibi corpore admoto, adeoque concludunt, quod sibi corpus postremo admotum est, id omnino in caussa fuisse voluptatis aut doloris, quem experiuntur. Ipsæ tamen belluæ, quæ brutæ cognitionis infirmitas est, crebro hallucinantur in usu horum principiorum, quippe nec disparitatem circumstantiarum callide dispicientes, nec adeo vel liberas caussas vel necessarias*.

408. Laurentius Forerus professor per sexennium theologiæ polemicæ, & Academiæ Dilinganæ cancellarius (2) *non ignoro*, inquit, *esse qui concedant brutis discursum imperfectum aliquem circa objecta sensibilia & ipsis propria, non autem circa honesta: in quo putant sufficienter hominem a brutis distingui*, quin hoc ille de ullo errore condemnet.

Joannes Guilleminotius Theologiæ professor per annos undecim, & Academiæ Mussipontanæ cancellarius inquirens differentiam animæ hominis ab illa brutorum, eam vult (3) *consistere in vi intellectiva omnium etiam immaterialium*, & concludit (4) *quando vis discursiva accipiatur quasi hominis distinctivum, non esse sumendam vim discursivam ut sic, sed cum superaddito circa omnia etiam immaterialia*.

409. Philippus Steinmeyer Philosophiæ professor in Universitate Friburgo-Brisgoica ex professo demonstrat in Institutionibus metaphysicis Friburgi Brisgoiæ impressis anno 1772. (5) brutorum animas percipere sensibilia, discernere utilia & noxia, amica & infesta, imaginatione & memoria pollere, affectibus commoveri propriis appetitus sensitivi, & habere analogum rationis.

Sigismundus Storchenaus, cujus celebres sunt *Institutiones metaphysicæ*

(1) Pa. de Bono l. 2. c. 32. n. 3.
(2) Fo. Virid. phil. de Animal. n. 54.
(3) Gu. de Cogn. brut. se. 8. n. 5.
(4) Ibid. n. 12.
(5) Ste. Psycho. rati. n. 96. & seq.

ficæ Venetis etiam typis impressæ, statuit (1) *bestias frequenter casum similem expectant, quia cum polleant facultate sentiendi, imaginandi & memoria, hæc expectatio hisce facultatibus efficitur*. Atque cum hæc expectatio quid *rationi analogum, & quempiam ratiocinii umbram continet, igitur & hæc bestiarum animis tribuenda sunt*. Horum auctorum conclusiones sunt, ut vidimus (n. 401.), ipsa doctrina S. Thomæ, adeoque aliorum multorum.

410. Alios nunc audiamus bonæ certe notæ philosophos. Franciscus Vallesius observat (2) dicendum quidem non esse, quod bruta habeant rationem & vim ratiocinandi, quoties hæ voces accipiantur in sensu, quo communiter dicuntur de homine, qui est hujusmodi. Ratio est vis, qua homo cogitat de mediis ad consequendum finem, & consultat an sibi expediat consequi illum finem; & vis ratiocinandi in homine est vis, qua discurrit circa quodvis corporeum & spiritale, temporale & æternum. Quando autem eæ voces limitentur dicendo esse in brutis rationem & vim ratiocinandi ipsis propriam, & hoc vel simili modo hujusmodi nomina definiantur: Ratio brutorum est vis, qua cognoscunt & appetunt quæ sunt media ab Auctore naturæ constituta ad victum sibi quærendum, prolem propagandam nutriendam & conservandam, dolorem fugiendum, valetudinem vitamque tuendam: Et vis ratiocinandi brutorum est vis discurrendi circa ea, quæ sunt objecta rationis illorum: Quando inquam hoc aut simili modo limitentur significationes illorum nominum, ita censet brutis tribui posse, ut dicat (3) *certe rationem aliquam esse brutis negare non possumus citra proterviam*. Brevi tota doctrina Vallesii comprehenditur dicendo, rationem hominis esse facultatem substantiæ spiritualis aptæ ad cognitiones veri & falsi, & boni ac mali, per quam ex una cujuscunque objecti cognitione per discursum aliam acquirit: rationem vero bruti esse facultatem substantiæ spiritualis aptæ ad solas cognitiones objectorum sensilium, per quam ex una hujusmodi objetorum cognitione aliam per discursum acquirit de iis sensibilibus objectis, quæ necessaria sunt ad vitam tuendam, & speciem propagandam. Eumdem sensum video in Plutarcho, ubi ex instituto contendit (4) *quodvis animal rationis esse particeps, verum ut visus visui, volatus volatui præstat, non enim accipiter & cicada æque vident, neque ita aquilæ volant, ut perdices, ita etiam non omne rationis particeps summam calliditatem atque celeritatem intelligendi nanciscitur*.

411. Gassendus, qui in Exercitationibus paradoxicis (5) dixerat suo loco se probaturum bruta aliquo modo ratiocinari, id abunde præstitit tum in libris *de Animalibus* (6), tum in suis dubitationibus in Meditationes Car-

(1) St. Psychlo. n. 271.
(2) Val. Sac. Philos. c. 55. p. 415.
(3) Id. ibid. p. 414.
(4) Plu Terrestriane an aquatil.
(5) Gass. l. 2. Exerc. 6.
(6) Id. de Anim. l. 8. c. 5.

Cartesii, ubi sic ait, (1) *Bruta carent ratione humana, non sua: adeo proinde ut non videantur ἄλογα dicenda, nisi comparata ad nos, cum alioqnin λόγος, seu ratio tam videatur esse generalis, possеque illis attribui, quam facultas cognoscens. Dicis ea non ratiocinari. Verum cum non ratiocinentur tam perfecte, deque tot rebus ac homines, & ratiocinantur tamen, & nihil videtur discriminis nisi secundum magis & minus.*

412. Thomas Willis ex professo tuetur (2) bruta non modo res simplices apprehendere, sed & plures simul componere aut dividere, proindeque enunciationes facere, quippe inquit e variis cibis idoneos a non idoneis discernunt, gratiores præ minus gratis eligunt, & aut dolo aut vi corripiunt. Canis hominem procul adventantem cognoscit: si amicum, accurrit & colit; si inimicum & imbellem, adoritur: si fortem & minitantem, aufugit.

Jo Baptista du Hamel in sua Philosophia Burgundica statuit (3) *bruta agere propter finem*, quod pluribus suadet, & intelligendum est in sensu supra (n. 343.) exposito. Idemque vult necessario concludi ab omnibus, qui advertant, *negari non posse, quin omnibus brutis a natura tributum sit, ut se vitamque suam tueantur, declinentque, quæ nocitura sint, & quæ ad vivendum necessaria inquirant. Igitur quæ ad hunc finem ducunt, cognoscant necesse est.*

413. Jo. Hieronymus Sbaragli sæpius citatus, Philosophiæ Professor Bononiensis, a quo habemus opus posthumum editum Bononiæ an. 1616, *Anima brutorum demonstrata contra Cartesium*, inquit (4) *fuisse animantibus omnibus necessariam cognitionem, & vim judicativam, ex eo patet, quia nisi animal quid noxium, quid salutare, quid fugiendum amplectendumve sit discerneret, brevi interiret.* Idem ex professo disquirens, (5) *an piaculum sit in brutis admittere aliqualem discursum*, id rotunde negat, quandoquidem plures invenit pro hac sententia philosophos, & determinate S. Thomam, cujus verba paulo ante allata considerat, & ea præterea, in quibus S. Doctor loquens de experimentis docet, hæc quidem non fieri a brutis, sicuti ab hominibus, cum prævia intentione comparandi inter se ejusdem speciei sensationes (6), sed negari non posse etiam bruta efficere aliquam collationem tum circumstantiarum, in quibus hic & nunc versantur, cum iis, quibus alias fuerunt, tum sensationum, quas tunc habuerunt, & earum quas nunc prævident, seu conjiciunt sequuturas. Ex quibus putat evidenter concludi inesse brutis aliquam rationem, quam ipse non semel (7) sensitivam appellat & ad eam

(1) Id. in Medit. 2. dub. 6.
(2) Wi. de Anim. brut. c. 7.
(3) Du. Phil. Mor. di. 1. q. 2. ar. 2.
(4) Sb. Ani. bru. dis. 1. c. 1. se. 3. pag. 46.
(5) Id. ibid. c. 3. sec. 2. p. 134.
(6) Th. in 1. Metaph. lect. 1.
(7) Sb. Ani. bru. di. 3. c. 2. se. 3. pag. 421.

eam pertinere cogitationes, quas pariter vocat sensitivas, & in hoc ipso genere maxime restrictas; Nam (1) *feles v. gr.*, inquit, *non moventur nec appetunt omnem cibum, nec omnem potum, & ita de reliquis aliis animalium speciebus*.

414. Jo. Baptista Mazinus philosophus & medicus Brixianus doctus ac pius in sua *Mechanica morborum* magno plausu excepta, & Brixiæ primum anno 1723 typis impressa, & deinde Offenbaci ad Moenum anno 1731, postquam de modo dixit, quo anima hominis in statu suæ cum corpore unionis dependenter ab illa diversas suas operationes exercet, hæc habet, (2) *non dissimili ratione, sed multo imperfectiori bruta ipsa sentire & operari, non ut automata, sed ut animalia quidem imperfectiora, quadam tamen potentia donata animæ analoga, qua specificis & determinatis fibrarum cerebri motibus suo modo sentiant, suo modo concipiant, suo modo intelligant, suoque modo recordentur*.

415. Floridus Partenius P. A., hoc est ut ego interpretor Pastor Arcadiæ, italice edidit Lucani anno 1762 dissertationem laudatam in Annalibus typographis anni 1763 pag. 78, *De immani errore eorum, qui scribunt absurdum esse admittere in brutis animam immaterialem, quæ aliquo modo judicet, atque discurrat*. qnam non vidi.

416. Gaspar Gherardini *præfationem historicam*, quam præmisit suæ italicæ versioni dissertationis gallicæ super bruta, erutæ ab uno ex voluminibus historiæ naturalis Comitis de Buffon, & Romanis typis anno 1785 publicavit, concludit dicens esse in brutis animam præditam vi cognoscendi, & dirigendi omnes ipsorum operationes, ita tamen ut manifestum sit ejus naturam longe abesse ab illa, quæ animis nostris concessa est. Qua ratione nobiscum sentit contra suum auctorem, qui juxta Romanas ephemerides literarias (3), ubi de hac versione loquuntur, negans brutis animam repetit omnes illorum motus non jam a tota machina ipsorum, ut facit Cartesius, sed a solo cerebro, in quo sibi videtur videre nescio quem sensum internum, eorum proximam caussam. Quo posito quis dissentiat ab iis qui dicunt Buffonium in descriptione rerum naturalium semper esse egregium pictorem, sed in suis circa illas meditationibus sæpe esse miserandum somniatorem, in quibus nuper est Abbas anonymus, qui Ebroduni anno 1781 gallice publicavit numeris omnibus absolutum *Examen epocharum Comitis de Buffon*, & alii apud ipsum (4), qui ut aliunde constat idem est cum auctore celebris *Catechismi philosophici*, gallice pariter pluribus in locis impressi sub ementito nomine Flexier de Reval.

417. Eamdem doctrinam mihi videtur Locke habere ex iis, quæ ex illo

(1) Id. ibid. in fine sec. 3.
(2) Ma. p. 2. di. 2. n. 25.
(3) Ef. ann. 1785. n. 51.
(4) Exa. n. 22 & 133.

illo refert Noghera (1). Idemque ex dictis (n. 305.) credo sentire Condillacum in suo *de animalibus tractatu*, juxta ea, quæ de ipso lego apud Trevoltianos (2), idem exprimit Dittonius (3) tribuens brutis illud ratiocinii & deliberationis genus, quod necessarium est ad sui conservationem, & exequutionem muneris singulis proprii, inserviendi commodo hominum, qui sunt finis proximus ipsorum creationis. Sed cum hos nomino jam occurrunt animo turmatim fere omnes recentiores, qui aperte statuunt brutorum animam esse immaterialem, vel clarius esse spiritum inferioris ordinis humano.

ARTICULUS IV.

Argumenta a ratione.

418. SIC arguo. Ne possit quis dubitare adhærens veræ philosophiæ, an cæteri homines a se distincti vere cognoscant, facit similitudo operationum illorum cum iis, quas ipsemet facit, & quas conscius sibi est provenire a suamet anima cognoscente: sed etiam multæ brutorum operationes sunt similes operationibus, quas homines conscii sibi sunt se facere ex cognitione. Ita homo dum iter habet modo ad dexteram modo ad sinistram deflectit, modo gradum suspendit aut retardat aut accelerat, prout postulant diversæ vicissitudines quæ in via occurrant: atque eodem modo bruta, dum incedunt, variant motum suum prout opus est ad se conservanda & ad fugienda dolorifera, & jucunda assequenda. Si nihil cognoscerent, ad instar meri corporis semel mota in directum tenderent, nec obicem insuperabilem devitarent, aut ardentem rogum, aut profundam voraginem, ne in hæc incidendo in cineres abeant aut collidantur. Homo agnoscit inter multitudinem domesticos, signa lætitiæ ostendit visis amicis, blanditur sibi beneficis, metuit & cavet sibi minitantes, irascitur se lædentibus, gemit percussus, vim vi repellit: canis etiam dominum in maxima hominum frequentia discernit, ad illum accurrit cum significatione lætitiæ, gestit cum sibi blandientibus, fugit a sibi minitantibus, vel contra illos furit, & quantum potest resistit.

419. Das homini quod ipsi placeat sive munus, sive aliud ab eo expetitum, vel ipsi certe gratum, jamque lætitiæ signa plausum & risum non dissimulat. Similiter cum cibum, qui magis placeat exhibemus jumentis, & aliis bestiis, quæ nobiscum vivant, statim videmus exprimi a singulis signa lætitiæ, motu vel aurium vel caudæ, vel voce, vel alio modo singulis proprio. Propter quam caussam Bougeantius (4) ad examen revoca-

(1) No. Rist. 6. su la nat. pag. 50.
(2) Tr. ann. 1755. ar. 120. pag. 2921.
(3) Di Rel. chre. supplem. sec. 7.
(4) Bou. Lingu. delle best. p. 3.

vocans vetus illud philosophorum placitum, quod in risu habeatur proprietas quædam hominis solius, non videt ipsum aliter esse verum, nisi definiendo risum esse expressionem lætitiæ per diductionem oris aures versus, & sonitum quemdam convulsivum. Quod si idem definiatur declaratio lætitiæ per signa externa, qualis videtur esse formalis ratio risus, hic jam invenitur pertinere etiam ad multa bruta, quemadmodum jampridem adverterat Lactantius dicens, (1) *risus est homini proprius, & tamen videmus in aliis animalibus quædam signa lætitiæ, cum ad lusum gestiunt, aures demulcent, rictum contrahunt, frontem serenant*.

420. Accidit homini, quod ipsum graviter affligit, vel dolorem affert, jamque in tristitiam incidit, & gemitu etiam ac fletu dolorem suum declarat. Tristitiam pariter observamus in multis brutis malo aliquo correptis, & in aliquibus etiam fletum, de quo dubitare an cadat in aliqua bruta (2) *est*, inquit Sbaraglius, *dubitare contra auctoritatem virorum gravissimorum, & contra sensibilem experientiam*. Sacra quidem Scriptura animalibus non invenientibus pascua tribuit gemitum, qui definitur querulus clamor ob sensum doloris citra lacrymarum effusionem, (3) *Quid*, sic apud Ioelem, *ingemuit animal, mugierunt greges armenti? quia non est pascua eis*. Ipsemet testis sum de repetito identidem miserabili stridore a mulo, cui ex lapsu crus fuerat confractum: omnes quotidie audiunt canes, qui percussi ululant, feles quæ ereptis catulis ejulant, vaccas quæ amissos vitulos per plures etiam dies mugitibus lamentantur.

421. Homines importune ad iracundiam provocati, illam exerunt & diversis vocibus gestibus & actibus terrificis declarant. Ecquis unquam ullam bestiam vexavit, quin & ipsam brevi viderit irasci, & furere? Tunc est dicam cum Seneca, quod (4) *spument apris ora, dentes acuantur attritu, taurorum cornua jactentur in vacuum, & arena pulsu pedum spargatur, leones fremant, inflentur irritatis colla serpentibus, & nullum sit animal tam horrendum, tamque perniciosum natura, ut non appareat in illo nova feritatis accessio*. Homines pro filiis suis admiramur plenos amore vigilantia & sollicitudine. Nec certe in brutis desideramus argumenta, quæ has etiam in illis affectiones esse nobis demonstrant. Nonne videmus gallinas plurium jam pullorum matres circumire cohortes & prata, speculantes & inquirentes quicquid utile sit ad cibum, non jam ut sibi carpant, sed ut filiis distribuant, quos glocitando, si forte absint, advocant. Fac interea canis aliquis aut alia extranea bestia ex improviso accedat, quantam subito sollicitudinem de prole tuenda præseferunt, conjunctam cum incredibili audacia, qua sui immemores intrepide creditos hostes invadunt, & rostri ictibus quam possunt vehementibus oculos præsertim aggrediuntur, ut terga vertant celeriter, aut ibi lumine amisso

Bb 2 secu-

(2) La. de Ira Dei l. 1. c. 7.
(1) Sb. Ani. brut. di. 1. c. 3. se. 3.
(3) Joel c. 1. v. 18.
(4) Se. de Ira. l. 1. c. 1.

ſecuras ſe ac prolem relinquant. Quod in gallina tunc obſervatur, idem in ceteris brutis apparet; Nam omnia inquit Cicero (1) *pro ſuo partu ita propugnant, ut vulnera excipiant, nullos impetus nullos ictus reformident*. Et ante illum Plato dixit (2) *natorum cauſſa imbecillia etiam animalia adverſus robuſtiſſima prælia poſcunt, & pro illis occumbere parata ſunt, ac fame deficere, modo filios nutriant, & aliud quodlibet audacter aggrediuntur*, quod Paulus Segneri (3) pluribus hiſtoriis confirmat.

422. Hæc quæ Latini perturbationes dicebant, & vulgo jam paſſiones appellantur, in omnibus brutis obſervantur, ut fuſius declarat Genuenſis, ubi ex profeſſo (4) affectibus bruta agitari oſtendit. Originem hæ ducunt ab apprehenſione ſenſibilis ſive boni quod poteſt acquiri, ſive mali quod poteſt vitari, quæ primo quidem commovet appetitum communiter diſtinctum in concupiſcibilem, dum tendit in bonum, & iraſcibilem, dum malum refugit, deinde vero totum animal perturbat, ut incapax ſit ad aliam in ſe determinationem ſuſcipiendam per ſolitas aliorum objectorum impreſſiones. Quare non male paſſionem definit Condillacus (5) alicujus rei deſiderium, quod in ſui conſortium aliud non admittit, vel ſaltem omne aliud longe ſuperat. Quando Cicero dixit (6) *perturbationes ex aſpernatione rationis eveniunt, itaque in hominibus ſolum exiſtunt; Nam beſtiæ in perturbationes non incidunt*, ſequutus eſt definitionem perturbationis a ſtoicis ſtabilitam, quod eſſet concitatus animæ motus abhorrens a ratione, quæ cum non ſit in brutis, concludebant non eſſe iu illis perturbationes. Sed quoniam ipſi ſtoici admittebant in brutis effectus ſenſibiles perturbationum, admittere etiam debebant eorum cauſſam veras perturbationes. Nam regula philoſophandi eſt, *effectuum naturalium ejuſdem generis eædem ſunt cauſſæ*. Notio igitur rationis incluſa a ſtoicis in definitione perturbationis opportuna ſolum eſt cum limitatione ad illas quæ imputentur ad culpam, nec unquam adhibenda in definitione perturbationis in genere, utpote excluſa a bona Phyſiologia quæ cauſſam remotam perturbationum invenit in apprehenſione boni aut mali, & proximam in appetitu, quorum utrumque cum detur tam in hominibus quam in brutis, veras in utriſque producit perturbationes.

423. Ceterum, qui velit habere tamquam ſacram definitionem perturbationis datam a Stoicis, quia cum ſit nominalis, non ſubjacet cenſuræ de falſitate, ſed ſolum de abuſu vocabuli, quem noſtrum non eſt objicere Ciceroni, ille loquens de brutis utatur nomine impulſionis vel affectionis, quæ apud ipſos latinos idem ſignificant ac illud, quod remota Stoicorum limitatione ſignificat perturbatio. His animadverſis plane ſequi-

(1) Ci. Tuſc. l. 2. n. 79.
(2) Pl. Conv. in Socr. orat.
(3) Se. Incredul. p. 1, c. 14, n. 5.
(4) Ge Metaph. appen. de brut. n. 6.
(5) Co. des ſenſat c. 3. n. 3.
(6) Ci. Tuſc. l. 4. n. 31.

ſequitur bruta habere animam prædìtam potentia ad omnes actus, quos in propoſitione enunciavimus; Nam ſi hæc abeſſet, videremus ea non aliter ſe habere, ac ſe habeant plantæ hortorum, dum cuſtos ad eas accedit aqua irrigandas aut fimo fovendas, vel ſpinæ dum evelluntur, & in faſciculos colligatæ ad flammas deſtinantur, vel quercus, dum ſecuri percutiuntur, & in fruſta ſcinduntur.

ARTICULUS V.

Argumentum ex operationibus brutorum majorum.

424. CEnſuit jam Whiſtonus (1) veritatem propoſitionis quam circa bruta ſtatuimus, tanta evidentia declarari ab eorum operationibus, quæ ſimiles iis ſunt, quas nos per diverſas animæ noſtræ facultates ſine controverſia facimus, quanta experimenta Boyles demonſtrant ea, pro quibus ſuadendis inſtituuntur. Juvat igitur ex his deſumptum argumentum diſtinctius proponere productis in medium certis aliquorum operationibus, ac de illis primo dicam, quæ propriæ ſunt brutis majoribus, deinde vero in proximo articulo de aliquibus, quæ in minoribus, & etiam minimis obſervantur. Itaque quæ de elephantis a Plinio (2) & aliis auctoribus narrantur, mira ſunt. Equidem teſtis ſum unum Romæ a me viſum revocaſſe cuſtodem, qui a ſe ab aliquo jam tempore aberat, percutiendo proboſcide tabulam ſibi proximam, & tunc ſolum quieviſſe, quando ille advenit, qui ad eum accedens virga, e qua tenuis funiculus pendebat, illum leviter percuſſit, quaſi de petulantia reprehendens.

425. De Mulis in memoriam revocabo exemplum illorum ſagacitatis, quod ex Thalete ſupra (n. 358) retuli. Eoſdem, & equos, aliaque jumenta, & boves cicuratos certum eſt apprehendere, quid ſibi velint voces hominum, a quibus diriguntur, ita ut videamus eos ſiſtere accedere & vadere, prout jubeantur, ſi id ſalva vita facere poſſint: ſin autem hanc videant manifeſte periclitari, vidimus ſupra (n. 31.) obſtinate repugnare.

426. De Leone quodam A. Gellius, & Aelianus ex Apione Polyhiſtore, ſatis noto ex libro Joſephi Hebræi contra ipſius hiſtoriam de Aegyptiis, referunt agnoviſſe in amphitheatro romano hominem ad pugnam beſtiarum damnatum, qui ſibi in Africa ſtirpem veſtigio pedis hærentem revulſerat, quem (3) *leo, ubi vidit procul, repente quaſi admirans ſtetit, ac deinde ſenſim atque placide tamquam noſcitabundus ad illum accedit. Tum caudam more atque ritu adulantium canum clementer & blande movet*

(1) Wh. Aſtr. princ. p. 6. n. 1.
(2) Pl. Hiſt. l. 8. c. 1. & ſeq.
(3) Ge. Noc. att. l. 5. c. 14.

vet, hominisque se corpori adiungit, eruraque ejus & manus prope jam exanimati metu, lingua leniter demulcet. Homo Androclus, sic nempe vocabatur, *inter illa tam atrocis feræ blandimenta amissum animum recuperat, paulatimque oculos ad contuendum leonem refert. Tum quasi mutua recognitione facta lætos & gratulabundos videres hominem & leonem. Ex re prorsus admirabili maximos populi clamores excitatos dicit, accersitumque a Cæsare Androclum, quæsitusque cur ille atrocissimus leonum uni parsisset*. Quoniam ipsemet Apion, qui Alexandrinorum legatus Romam sub Caligula venit, ibique diu commoratus fuit, facti testem de visu se dicit, plus nimio morosus mihi videretur esse, qui de illo dubitaret, propterea quod Gellius & Seneca (1) ipsum famæ magis, quam veritatis studiosum describant.

427. Simile est & magis etiam illustre exemplum grati animi in leone, quem Gothofridus de la Tour miles in primo sacro bello pro recuperanda Jerosolyma suscepto liberaverat anno 1098 a vasto serpente, qui circa ejus crura convolutus tentabat ipsum occidere, illud narrat Monteirus (2) ex Majmburgio (3), & aliud ex Charlevoixio (4) de leæna in feminam hispanam, quæ casu anno 1536 feliciter obstetricis munus cum ea exercuit in extrema pariendi difficultate. Alias amoris significationes a brutis exhibitas hominibus sibi beneficis, & integris urbibus notas refert Guerius (5).

428. De Cervis admirabiles industriæ prædicantur, quibus se a venatoribus tentant eripere. Erecto dicuntur capite decurrere, & amplos saltus facere, dum observant se nondum a conspectu sequutorum abesse, ut vegetos & vigentes se simulent, qui ceteroqui quam maxime fatigati & pene fracti sunt. Numquid Romani ab his didicerunt Gallos ab obsidione Capitolii removere projectis in ipsos panibus, quibus jam deficiebant, ut annonæ abundantiam simularent? Præterea per eadem vestigia dicuntur redire, quæ fugientes impresserunt, si forte nacti per viam lacunam in ea immersi delituerunt, donec venaticus globus canarius præterierit, ut hunc quando redeat, anxium reddant circa directionem, quam teneat. Alias bene multas fraudes subtilissime excogitatas referunt, qui Cynegeticem exercent, vel de ea scribunt, ut Franciscus Pomey in tractatu de hac arte inserto in finem sui Dictionarii saltem secundæ editionis.

429. Quam in cervis commemoravi sollicitudinem effugiendi periculum vitæ, eamdem videmus ex dictis (n. 363.) in leonibus et lupis, quin immo in omnibus brutis, quæ ab eo si possunt fuga se eripiunt, au vires omnes, & arma quæ habeant, dentes, ungues, expediunt ad su con-

(1) Se. epis. 88.
(2) Mo. Phys viven. n. 103.
(3) Mai His. des Croisa. t. 1. l. 2.
(4) Ch. Hist. du Paraguay. l. 1.
(5) Gu. Ani. delle bes. vo. 2. c. 1.

conſervationem contra aggreſſores ea audacia & furore & arte, quæ admirabile nobis creat ſpectaculum, ut redundent plateæ & amphitheatra, quoties tauri cum hominibus vel canibus, aut aliæ inter ſe beſtiæ præſertim diverſi generis ad pugnam committuntur.

430. In lupis inſignem malitiam oſtendit, quod Andreas Boehmius (1) narrat ſolere lupos, qui ſibi a canibus gregem cuſtodientibus timent, hos deludere uno illorum ex una parte latitante in inſidiis, dum alter ex oppoſita parte palam ſe oſtendit, eo ſcilicet fine, ut canes contra ſe undique irruentes liberum prædandi campum ſocio relinquant. Quare paſtores hujus ſtratagematis non ignari, gregi aliter conſulunt. Benedictus Stattler cum aliis (2) nolit tantum his brutis concedere ſagacitatis, quæ utique præſefert mutuam inter hos lupos colloquutionem & conventionem, & rem totam dicit explicari per duos lupos, qui caſu in diverſis locis ſtantes ambo inhiant prædam, ſed ab ea abſtinent metu canum, & expectant opportunitatem, ſiqua detur invaſionis, quam arripit ille, qui non fuerat obſervatus, dum canes gregem deſerunt, alterum quem viderunt invadentes. At quoniam non accidit conſtanter, quod eſt a caſu, hujuſmodi explicatio huic hiſtoriæ non ſatisfacit. Et quando etiam quis eam amplectatur, minuit quidem malitiam luporum, ſed alias in iis cogitur admittere animadverſiones, quæ arguunt & requirunt animam ſuo modo ratiocinantem.

431. Dum ſimilem hiſtoriam referens Purchotius (3) conatus eſt eam juxta placitum Carteſianum explicare, Storchenaus, qui ejus concepta verba deſcripſit, concludit (4) *inde ingens fingendi libido in carteſianis apparet, quæ nullum huic ſententiæ inter probabiles locum relinquit*. Quanto ſatius Fortunatus a Brixia (n. 24.) & alii fatentur hæc quidem non poſſe a ſe per ſolam machinam explicare, ſed ne credant fieri per animam dicunt impediri a majoribus in hac ſententia difficultatibus.

432. De vulpium aſtutia plures narrationes collegit Aldrovandus (5) præter illam ſupra (n. 359.) commemoratam. Hæc earum proprietas tam nota eſt & celebris, ut non ſolum jam olim factæ fuerint calliditatis ſymbolum, & callidi hominis ſynonimum, quo J. Chriſtus Herodem appellavit, cum ait (6) *Ite & dicite vulpi illi*, ſed occaſionem etiam dederit permultis fabulis, quibus communiter jam utimur tamquam parabolis ad præcepta quædam moralia altius memoriæ infigenda.

433. De ſimiis refert Diarium Sapientum ad annum 1688. ſolere quotannis in promontorio Bonæ Spei, quod aliter frons Africæ appellatur,

(1) Bo. Metaph. n. 678.
(2) St. Pſycho. n. 436.
(3) Pu. Phyſ. p. 3. ſe. 2. c. 2. pro. 3.
(4) St. Pſych. n. 169. ſch. 1.
(5) Ald. de quadr. digit. vivip. l. 2. c. c. 2.
(6) Luc. c. 13. v. 32.

tur, cum fructus in hortis maturaverint, turmatim ad eos deprædandos descendere, sed positis prius in locis editioribus excubiis, quæ moneant de periculis, siqua ingruant a custodibus, ut possint in tuto se recipere, saxis interea resistendo aut retardando aggressores. De iisdem refert Eusebius Nierembergius (1) communem esse Indorum novi orbis opinionem simias *intellectu pollere, sed loqui nolle ne compellantur ad operas & laborem*.

434. De felium sagacitate in venatione murium quisque fortasse testis est. Eligunt illæ stationem remotam a loco, e quo adverterunt murem prodire. Ibi patienter tacitæ excubias agunt diuturnas. Prodeunte mure nondum ipsum aggrediuntur, sed permittunt longius sejungi a cavea, ne iterum cum eum invadunt, illuc se recipiat. Quoties tandem ab illa jam distet, quantum vident sat esse, ut fugientem tuto assequantur, tunc tandem consiliunt, & capiunt, sed non occidunt ut eo vescantur, antequam pro libito in solatium sui laboris diutius se ejusdem quasi impensis recreaverint, exhibentes in hoc ipso nova sagacitatis argumenta, in quibus describendis & urgendis contra Cartesianos Guerius (2) immoratur. Feles non omittam, quin easdem considerem, quando aliquid ciborum furtim subripiunt, & quando ad mensam Domini statis temporibus accurrunt. Dum quid furantur, quod ubi promi & coqui cibos parantes permittunt secum esse, tandem faciunt data occasione cujusque ipsorum negligentiæ vel levissimæ, subito ab omnium oculis raptim se subducunt, prædam exportantes in penetralia, ubi se abscondunt, ut securæ eam devorent: ac quasi prævideant pœnæ meritum ac periculum, omnia deinde circumspiciunt, nec ita facile ad locum furti per illam diem regrediuntur: quæ autem mensæ adstant, si eo tempore clausum ostium inveniant, per quod solitæ sunt ingredi, strepunt & clamant, donec quis illud aperiat. Tunc recta mensæ accedunt, ibique immotæ persistunt, oculis & toto corpore in accumbentes conversis, quos leni pedis attactu identidem monent, ut novos sibi cibos projiciant, quorum gratia ibi adsunt sollicitæ. Quam multa in tota hac felium ratione argumenta pro singulis propositionis partibus.

435. In canibus frequentiora sunt exempla cognitionum appetitionum, aliorumque actuum sublimiorum, aliqua supra (n. 28. 30. 32. 33. 39. 357.) exposui. Præterea cum ipsis conveniant quasi specificæ proprietates, obsequium & fidelitas in dominos, has sæpe ita manifestant, ut communiter Plinius (3), Plutarchus (4), & ex his Stephanus Menochius (5).

A

(1) Ni. Hist. nat. l. 3. c. 10.
(2) Gu. Ani. delle bes. vol. 2. c. 4. §. a che l' impressione.
(3) Pli. Hist. l. 8. c. 40.
(4) Plut. Terrestriane.
(5) Me. Stuore P. 2. cent. 4. c. 56.

Aldrovandus (1), & Genuensis (2) ex suamet & aliorum quos citant experientia, mira in hanc rem narrent. Petrus Fonseca (3) de cane quodam Eduardi Lusitaniæ principis testis est, illum familiares domini sui ita cognovisse, ut siquem princeps vellet ad se venire, satis erat cani ipsum nominare, & gestu aliquo, ut adduceret imperare; Ocyus enim accurrens ipsum quæritabat, & veste dentibus apprehensa ad principem deducebat. Rajus in Synopsi Animalium quadrupedum narrat vidisse se canem, cæci mendicantis ducem, qualis Romæ non ita pridem erat, colligere projectum e fenestra nummum, & in domini crumenam immittere.

436. Inter carmina Blacklockii Poetæ Angli qui sexto a nativitate mense cæcus evaserat iterum Londini edita anno 1755 unum est plenum amoris significationibus ad canem achatem suum, propterea quod latratibus eum deterruerit ab ulteriori motu quo in puteum decideret, quod italicis etiam versibus redditum legitur in tomo 1. p. 1. Diarii encyclopædici Lucæ impressi anni 1756. Guerius antiqua & recentia exempla commemorat (4) de furore canum in eos, qui suos dominos per proditionem occiderunt, qua ratione cum essent ignoti, facti fuerunt manifesti. Ex his unum legesis a S. Ambrosio (5) eloquenter descriptum. Qui canem habeat, observabit, quod si animi caussa ab eo exigat vel saltus difficiles, vel situm incommodum, vel alium actum sibi molestum aut periculosum, ille objiciat lamentabiles ululatus, & humiles tergiversationes, indicia plusquam aperta cognitæ difficultatis molestiæ & periculi, quibus non cedit nisi post repetitos a domino clamores, & simulatam iracundiam, & veras comminationes. Hujusmodi observationes circa bruta majora, quas quisque poterit per se augere, cum satis quod volui demonstrent, ad alias transeo circa minora.

ARTICULUS VI.

Argumentum ex operationibus avium & insectorum.

437. IN gallinis quotidiana sunt exempla sollicitudinis & industriæ in suis pullis alendis & defendendis, quæ supra jam (n. 37. & 421.) cum aliis sum admiratus. De gallis autem compertum est in singulari certamine, quod ineant cum serpentibus, quos avide comedunt, alis ante se explicatis, & conjunctim extensis obviam illis ire, qua ratione tamquam clypeo protegunt pectus suum & caput ab illorum furiosis & venenatis dentibus, quos dum serpentes inconsulto summis alis infigunt, galli dexteritate ac velocitate summa rostro vehementer eorumdem caput percutiunt,

(1) Al. de Quadru. digita. vivip.
(2) Ge. Metap. Appe. de Brut. n. 10. Gratitudine.
(3) Fon. Metaph. l. 1. c. 1.
(4) Gu. Ani. delle bes. vol. 1. c. 1. §.
(5) Am. Hexam. l. 6. c. 4.

tiunt, ita ut sin minus primo, aliis certe eodem modo renovatis aggressionibus & ictibus tandem frangant, sævoque hoste ante se enervi & exanimi læti potiantur. Quod de gallis nostratibus dixi, Philip. Salvator Gilius (1) idem narrat de avi Americana, quæ accipitris magnitudinem non excedit, & quia ricinos gulose devorat, Crotophaga avis græco nomine appellatur post Linnæum a juniore Gilio (2) qui ejus imaginem dedit.

438. Aves venaticæ admirabilem industriam sagacitatem & audaciam in aggressione aliarum avium & etiam ferarum naturaliter exercent. Paulianus (3) ex Antilucretio Cardin. Polignac (4) describit singulare certamen bis initum ab accipitre cum aquila, in quorum primo victrix brevi fuit avium regina, quæ per quamdam magnanimitatem illum non occidit, sed aliquibus solum detractis plumis languentem in scopulo reliquit, sed in secundo victa fuit hoc admirabili stratagemate. Ille vindictam inhians observaverat posse se intra scissuram diruti pontis ex una parte facile ingredi, & ex alia exire, non vero inimicum suum utpote majoris molis. Igitur securus de suo in his ruderibus refugio post refectas vires in cælum iterum se extollit, & aquilam nactus in ipsam furiose invehitur. Sed brevi etiam ab ea coactus fugere præmeditatum receptum velocissime assequitur, quo dum persequens aquila incaute se ingerit, in ejus angustiis capta retinetur, ut antequam ab iis se liberaverit, potuerit adversarius impune plures ab ea pennas evellere. Homines, qui hanc in his avibus virtutem cum admiratione observarunt, eam ad sui singulare oblectamentum converterunt, & per ornithotiram (n. 347. & 361.) quodammodo perfecerunt.

439. De Corvo certiores nos facit Baco (5) illum in sua siti, cum aquam non conspiceret nisi in cavo arboris tranco, quo rostrum non pertingebat, eamdem injecta sufficienti lapillorum vi pro sua indigentia elevasse.

De Psittaco sibi mortuo Domina de Scuderi Cartesio cognata, ad quam extat ode Annæ de Vigna celebris poetriæ, mittens ad Leibnitium carmina funebria scribebat (6), *eo illum fuisse ingenio, ut vel solus sufficere potuerit automatis cartesianis refellendis*.

440. De hirundinibus præclarum cognitionum & diversarum affectionum exemplum supra (n. 36.) jam proposui in vindicta, quam de infesto passere unanimiter sumpserunt, aliaque exhibet anniversarius singularum reditus ad loca, in quibus alias fuerunt.

Passeres jam vidimus (n. 40.) diversi generis grana ad sui alimen-

(1) Gi. Sto. americ. to. 4. l. 1. c. 3.
(2) Gi. Delineazi. de generi. n. 49.
(3) Pa. Diz. di Fisi ar. animali
(4) Po. l. 6.
(5) Ba. Nov. organ. l. 2. n. 37.
(6) Lei. Commer. phi. ep. 89. & 91.

mentum opportuna distinguere, & non sine aperta mutui amoris significatione ad illorum pastum socios invitare, & de illis, qui in locis vivunt habitatis, nemo ignorat quanta calliditate vulgares insidias prospiciant & deludant.

Omnes tandem aves in sola constructione nidi, & educatione prolis sagacitatem sollicitudinem providentiam ostendunt, cujus admirabile exemplum supra (n. 65.) retuli in nido achantidum, quæ in aviario erant inclusæ.

441. Venio ad insecta. Formicæ quammulta tradant animæ cognoscentis & quidem admirabili modo argumenta supra jam (n. 38.) observavi.

Apes apud Pluchem (1) hoc olim exemplum discursus & mutuæ consiliorum communicationis exhibuerunt. Limax ostium alvearis cum aliquantulum esset ingressus, apes statim illum pungunt, ut abeat: Sed ipse credens fortasse se recipere in tutum, illabitur velocius in ipsa penetralia. Tunc enim vero agmine facto accurrunt apes, & ingeminatis ictibus miserum occidunt. Jacet extinctum cadaver, quod quasi intelligant pestem allaturum toti ipsarum Reipublicæ, si in ejus medio putrescat, cum aliunde nequeant pro sua mole illud foras deportare, consilium ineunt condendi sepulcrum circa ipsum aeri ipsi impervium, quod collata opera quam citissime perficiunt.

442. Aranei facinus jam refero, cujus ipsemet testis sum. In angulis fenestræ non ita magnæ duo aranei pedum longorum suas ex utraque parte telas contexuerant. Pertransiens illac steti ad ingentem sibilum, quem musca edebat, araneo eam irretiente. Ille de more opus suum circa muscam tota virium animæ & corporis contentione urgebat, ut eam penitus illaquearet. Dum hoc intueor, ecce tibi ex adverso angulo alius ejusdem speciei araneus fragore credo e suo loco excitatus, recta tendit in alium araneum. Cum propior jam esset, sistit parumper ad distantiam trium circiter digitorum quasi contemplans opportunitatem & rationem invasionis: tum ex improviso in eum irruit ex parte inferiori. Congrediuntur ambo, & luctantur invicem, donec musca decidit recta in solum. Tunc pugnam omittit aggressor, & in solum statim per lineam rectam dilabitur ad capiendam muscam, quæ ceciderat, illaque sine æmulo rei novitate perculso, & fortasse vulnerato potitur.

443. Similia argumenta de vi cognoscendi judicandi & aliquo modo discurrendi, aliasque internas operationes efficiendi, ingenita animæ brutorum eloquenter & venuste contra Cartesianos exponunt Magalottius (2), & Regnaultius (3), & multa jam olim protulerat Gryl-

 lus

(1) Plu. Spet. Ent. Les Abeilles to. 7.
(2) Ma. Lett. scientif. 11.
(3) Re. Entr. Phys. to. 4. Ent. 2.

lus unus ex colloquutoribus in quodam de brutis (1) dialogo Plutarchi, & innumera colligi possunt ab iis, qui de animalibus agunt, & multa jam collecta habentur a Carolo Gregorio Rosignolio in suo italico libro *Mirabilia naturæ* contexto magna ex parte ex hujusmodi historiis circa brutorum operationes, quæ assertas facultates animæ ipsorum tam clare præseferunt, ut inde factum sit aliquos extitisse ex jam dictis, qui intellectum inesse brutis concluserint. Hæc non advertit Leibnitius, ubi concedens brutis cognitiones, ita negat (2) universaliter omnia iisdem judicia, ut dicat nihil ab illis fieri, quod hæc arguat.

ARTICULUS VII.

Argumenta pro memoria brutorum.

444. Distinctim pro memoria brutorum arguendum est. Quidam enim dissensus opinionum in hac parte videtur esse: Sed hic quoque evanescet, stabilita memoriæ definitione. Qui dicat memoriam esse vim cognoscendi, non solum objecta olim cognita, sed hoc ipsum cognoscendi, quod olim cognita fuerint, is excludat necesse est memoriam a brutis, quia nequit ipsis tribui, quod cognoscant se cognoscere; Hoc enim esset cognoscere objectum quoddam spirituale. Hanc definitionem sequutus est Dalhamus dicens memoriam esse (3) *cognitionem, qua antheac mentem affecisse intelligitur*. Antonius etiam Eximenus (4) volens in memoriæ notione includi reflexionem supra proprias ideas, eam negat brutis. Qui vero memoriam definiat per hoc solum, quod sit vis cognoscendi objecta olim cognita, ut sibi jucunda vel noxia, is tribuit memoriam brutis. Atque in hoc sensu utpote communiter recepto loquuti sunt Patres & Theologi, ubi memoriam aperte tribuunt brutis.

445. Ex Patribus S. Augustinus (5) *possunt*, inquit, *pecora sentire per corporis sensus corporalia, & ea mandare memoriæ:* & alibi (6) *habent etiam memoriam pecora & aves, alioquin non cubilia nidosque repeterent, nec alia multa quibus assuescunt; neque enim assuescere valent ullis rebus, nisi per memoriam.* Ex Theologis sunt quotquot sequuntur S. Thomam, qui ut supra (n. 100.) vidimus tribuit brutis saltem perfectioribus tum imaginativam, scilicet facultatem revocandi sensationes olim ad objectorum præsentiam habitas, tum ipsam expresse me-

(1) Pl. Bruta ratione uti sub. fin.
(2) Le. Confor. de la foy. n. 66.
(3) Dal. Psychol. §. 11.
(4) Ex. d. Musica. l. 2. c. 2. n. 3.
(5) Aug. Gen. ad lit. l. 3. c. 81.
(6) Id. Confe. l. 1. c. 1c.

memoriam. (1) *Nisi enim*, inquit, *apud ea remaneret per memoriam intentio præconcepta, ex qua ad motum inducuntur, motum continuare non possent, quousque finem intentum consequerentur*. Atque quia quædam animalia ut polypi & conchylia credidit non moveri de loco in quo sunt, ideo hæc memoria carere existimavit.

446. Sed omissa omni auctoritate redeo ad exempla memoriæ brutorum breviter proposita a S. Augustino, quæ cogunt eam in brutis admittere. Equi, ursi, canes, aves, aliaque bruta disciplinæ alicujus capacia inveniuntur, quod sine memoria non contingeret. Præter exempla supra allata de equis ad numerum se moventibus, de psittacis & picis verba dominorum suorum cujuscunque linguæ addiscentibus, de passeribus canariis, qui de artificiosa modulatione instruuntur, habemus frequentissimum exemplum in canibus, qui redeunt ad primos dominos, quos in alias urbes per vim ducti reliquerant. Iidem si baculo aliquoties percussi fuerint, statim ut illum vident contra se elevari, fugiunt miserabiliter ejulantes: in quibus videas memoriam conjunctam cum vehementi imaginatione, quæ præsentem facit perceptionem doloris simili ex caussa olim habiti. Aliud habemus in columbis, quæ a suis columbariis in alia remotiora asportatæ cum primum possunt statim ad illa revertuntur. Qua observatione obsessi cives feliciter aliquando usi sunt, Hurtado (2), & Algarotto (3) referentibus, fortasse ex historicis Famiano Strada (4) & Thuano (5), ut cum aliis urbibus communicarent, ligatis epistolis ad alas earum, quas ad hunc finem ex illis secum duxerant. In ipsis insectis memoria manifesta est, ut in apibus, quæ alveare sub vesperam repetunt, a quo longius per diem pabulationis caussa abierunt.

447. Memoriam interea brutis concessam S. Tomas vult eam esse, quæ est (6) *subita recordatio præteritorum*, quam distinguit a reminiscentia, quam propriam homini faciens definit esse memoriam præteritorum non subitam, sed per syllogisticam disquisitionem. In illa quidem concessa brutis invenitur major perfectio, quam in simili hominibus data. Homo enim in labyrinthum, vel densam silvam ingressus, nisi signa apponat, quibus facile exitum cum volet reperiat, periculum est, ne domum possit stato tempore redire. Quod in multis brutis non accidit. Exemplo canum nuper allato, quod est propter suam frequentiam vulgo etiam notum, addam illud de grege porcorum, quem postquam subulcus in amplum & spissum nemus ter vel quater per diem custodierit non permissa ipsi facultate procul ab aspectu suo discedendi, hunc deinde sinit in eadem silva quocunque voluerit aberrare & dissipa-

(1) Th. in 1. Metaph. lect. 1.
(2) Hu. de Ani. di. 17. se. 6. n. 40.
(3) Al. Neutonianis. dia. 3.
(4) St. l. 7. & 8.
(5) Th. l. 59. ann. 1624.
(6) Th. 1. p. q. 78. ar. 4.

ſipari, ſecurus de ejuſdem reditu ad ſuile ſub veſperam. Quænam ſit cynoſura, qua hic grex recta dirigatur in reditu per vias tam novas tam implexas tam difficiles equidem ignoro, ſed unam hic perfectionem illorum memoriæ conſidero.

448. Subtilius inquirendo in naturam memoriæ nobis conceſſæ melius eruetur, quæ ſit propria brutis. Imprimis omnis memoria includit rationem præteriti: cum autem præteritum poſſit eſſe non ſolum objectum, quod animam cognoſcentem delectet, ſed etiam quod contriſtet, nobis quidem par utriuſque memoria conceſſa eſt: at in brutis cum appareat quaſi indelebilis illa de jucundis, ſatis fugax eſt de moleſtis, quæ conjuncta non fuerint cum periculo illorum vitæ, aut membrorum læſione. Itaque bruta videmus ad loca, ubi cibi copiam olim invenerint, etiam poſt annos redire, & fugere canes & feles ad aſpectum flagelli, quo ſemel indoluerint, & in proverbio eſt, aſinum iterum non cadere, ubi ſemel cecidit; at non videmus ne in feminis quidem brutis deſiderium natorum, qui ſibi fuerint erepti, niſi per aliquot dies.

449. Præterea memoria homini data non ſolum eſt de rebus ſenſibilibus, ſed etiam de inſenſibilibus, ut manifeſtum eſt ex Metaphyſica, Arithmetica, & omnibus abſtractis diſciplinis, quæ in hac quaſi ſecunda memoriæ ſpecie fundantur. Atque cum ad actus memoriæ requiratur exercitium alterius potentiæ animæ, quæ Phantaſia ſeu Imaginativa vocatur, hæc ad actus memoriæ inſenſibilium nullo modo requiritur, ut ſimili exemplo concluſit S. Auguſtinus contra Nebridium, qui ipſi ſcripſerat (1) *Mihi videtur, quod quamvis non omnis phantaſia cum memoria ſit, omnis tamen memoria ſine phantaſia eſſe non poſſit.* Quando enim memoria in mentem nobis revocat cognitiones olim habitas, conſcii ſumus has nobis non proponi tamquam phantaſmata. Quod autem memoria brutorum limitata ſit ad ſola ſenſibilia, ſine controverſia eſt, poſtquam planum factum eſt ipſis non convenire niſi vim cognoſcendi ſenſibilia. Quamobrem relate ad bruta non ſolum verum eſt, quod Nebridius dicebat, *memoriam ſine phantaſia eſſe non poſſe*, ſed dici etiam poteſt illam nihil aliud eſſe, quam ſpeciem illam phantaſiæ, per quam anima ſibi repræſentat, quod alias cognovit. Hoc ſignificavit Dalhamus, qui poſtquam brutis omnibus ex ſupra dictis memoriam negavit, contendit repetenda in illis eſſe ab imaginatione, quæ tribuuntur memoriæ, profitens tamen illam idem (2) *fere præſtare, quod hominibus memoria.*

450. Exemplum de hujuſmodi memoria, quæ cum omnibus prædictis limitationibus convenit unice brutis, habemus in pueris, qui nondum uſum rationis attigerint. His enim, qui carent cognitionibus refle-

(1) Ne. Epiſt. inter Auguſtin. olim 71. (2) Dal. Pſychol. §. 149.

flexis, non potest tribui, quod cognoscant se cognoscere, adeoque non convenit ea memoriæ præcipua dignitas, & quasi primaria species, quæ importat facultatem efficiendi cognitiones reflexas. Hunc in iisdem defectum reflectendi patefacit etiam carentia reminiscentiæ, quæ pariter ut vidimus juxta S. Thomam nobiliores cognitiones requirit. Quæ est ratio observante Card. Pallavicino (1), cur Grammaticæ disciplina sit relate ad maximam puerorum partem multorum annorum opus, quia scilicet tenera eorum ætas impar plerunque est ad exercitium reminiscentiæ, quæ linguæ præcepta in mentem revocet opportune: cujus ulteriorem caussam credo esse, quia nondum distinctam ideam sibi effecerunt de universalitate præceptorum, quæ tandem in eis nascitur, postquam per repetitos contra illa errores fuerint reprehensi, in quo habetur quid æquivalens inductioni, per quam a singularibus ascenditur ad universale.

451. Viderunt jam alii hanc distinctionem inter memoriam hominum & memoriam brutorum ac puerorum. Propterea illam brutorum vocarunt memoriam sensitivam, melius dicas cum Bossueto (2) memoriam imaginativam: illam vero hominum intellectualem, vel cum Noghera (3) imperativam, quæ spatiatur ut ita dicam per cognitiones cujuscunque generis: & primam definiunt esse facultatem cognoscendi objecta sensibilia, quæ exercite ad summum, non vero reflexe cognoscuntur olim cognita fuisse: secunda vero facultatem cognoscendi quævis objecta olim cognita cum conscientia similis cognitionis circa ea habitæ, ita ut possit ad eorum distinctam cognitionem conatu aliquo iterum pervenire, quando solum confusa sibi objiciatur.

ARTICULUS VIII.

Objectiones.

452. I. OBjicitur a Cartesio (4). *Quemadmodum canes, aliaque animalia nonnullas suas nobis passiones exprimunt, certe cogitationes etiam, siquas haberent, nobis exprimerent.* Atqui hoc nunquam faciunt: ergo canes aliaque animalia non habent cogitationes.

Resp. dist. maj. Si nomine cogitationis intelligat Cartesius cognitiones, quæ postulant mentem sive animam rationalem, *conc. maj.* si intelligat cognitiones quascunque, etiam quæ mentem non postulant, sed solum animam distinctam a materia, quarum exemplum habemus in infantibus, qui est sensus proprius Cartesio ut supra (n.9.) observavi, *nego maj.* quæ contradictionem etiam continet. Passiones enim, quæ expri-

(1) Pa. Vindicat. c. 22.
(2) Bos. Conno. de Dieu. c. 5.
(3) No. Rifl. 4. su. la Nat.
(4) Ca. Epi. p. 1. ep. 53.

exprimantur nullæ ſunt ſine prævia cognitione. Quis enim oſtendit ſe amare aut odiſſe, deſiderare aut timere, quod aliquo modo non cognoſcit: ergo ſi paſſiones ſuas nobis exprimunt bruta, exprimunt etiam cognitiones, & aliquo modo nobiſcum loquuntur. Eamdem objectionem in alia Carteſii epiſtola inveniens Sbaraglius, poſt ejus examen ſic concludit: (1) *Non videtur ſibi conſtans Renatus, modo bruta appellans automata, modo paſſiones animæ, & conſequenter ipſam animam in eiſdem admittens*. Cum eadem diſtinctione accepta & recuſata minori, *nego conſeqm*.

453. Inſtat. Paſſiones, quas nos exprimimus, non ſemper conjungi cum cognitione conſtat ex eo, quod (2) *invitis nobis ſæpe numero exoriantur*: ergo non poteſt ſuaderi paſſiones, quas exprimunt bruta, ut ſpei de eſca a domino recipienda, vel metus de verberibus, conjungi cum cognitione vel domini vel cibi vel baculi.

Reſp. nego ans, in quo iterum habetur repugnantia in terminis nuper obſervata; Nam negat adeſſe cognitionem in aliquibus paſſionibus, quam ſimul affirmat cum omnibus ſemper conjungi, quandoquidem paſſionis nomine venit vehemens tendentia appetitus in aliquid quod cognoſcitur. Atque qui dicit eas invitis nobis ſæpe exoriri, nihil aliud ſi ſapit ſignificat, quam ab apprehenſione objecti nobis aliquo modo præſentis violenter impelli appetitum in ejus amorem vel odium, quin locum permittat rationi ut hos actus vel jubeat vel impediat vel moderetur.

454. II. Objicitur ab Jaquelotio (3). Oſtreæ, vermes, & limaces nullam habent cognitionem aut ſenſationem: ergo neque bruta his perfectiora.

Reſp. nego ans, quod male ſupponit hic auctor in confeſſo eſſe apud omnes. Negato antecedenti, conſequentia deficit, quæ aliunde male ex illo inferebatur.

455. III. Objicitur. Ratiocinium ſupponit reflexionem ſupra ideas per ſenſuum commotionem excitatas, unius comparationem cum alia, & cognitionem mutuæ earum inter ſe vel connexionis, vel oppoſitionis, vel quaſi indifferentiæ, adeoque ſupponit effectionem idearum abſtractarum: Sed hæ nequeunt fieri a brutis: ergo neque ratiocinium.

Reſp. diſt. maj. Aliquod ratiocinium, quod dicas perfectum ea omnia ſupponit, *conc. maj.* Omne ratiocinium ea ſupponit. *nego. maj.* Card. Pallavicinus jam dixit, ut vidimus (n. 406.) remotum quidem eſſe a brutis primum ratiocinium fundatum in ideis abſtractis & univerſalibus; ſive ut magis hoc ipſum declaretur, ratiocinium, per quod diſcernant bonum & malum morale, & deſiderent ac quærant objecta remota futura & inſen-

(1) Sb. Ani. bru.di.1.c.3. ſe.2.in fine.
(2) Car. ibid. ep. 54.
(3) Jaq. Confor. de la Fon p. 2. c. 5.

sensibilia: non vero ratiocinium, quod sit cognitio unius objecti orta ex cognitione alterius tamquam notioris. Exempla hujusmodi ratiocinii proponunt quotidie etiam infantes, quos fatemur nondum usum rationis assequutos. Quis enim neget infantem ante speculum constitutum prodere signa manifesta vel de sua dubitatione, vel de suo errore, adeoque de quodam ratiocinio circa realitatem objecti, quod est sui ipsius imago in speculo apparens, dum videmus conari progredi post speculum, ut quem videt conveniat, vel siquid revera est, conspiciat. Quod pariter observamus fieri ab avibus, puta passeribus Canariis, quos in cubiculis detinemus, si in speculo se intueantur.

456. Instant. Ratiocinium supponit usum rationis, qualis est in homine. Nam ab hac ratione nomen accipit: sed bruta non habent usum hujus rationis: ergo neque habent ratiocinium.

Resp. nego. maj. Ex modo dictis, quæ etiam distingui potest cohærenter ad duas rationis & ratiocinii species supra (n. 410.) distinctas & expositas. Probatio non urget; Nam nomina derivata non opus est, includant in sua significatione omnia attributa, quæ volumus significata a nomine, a quo derivamus. Satis est ut aliqua aliquo saltem modo habeant. In notione rationis, prout extra quæstionem de brutis communiter accipitur, habentur duo attributa, alterum quod sit facultas mentis sive intellectus, alterum quod unam cognitionem ex alia colligat. Ex his primum, quod postulat intellectum, non significatur ab omni ratiocinio, sed secundum dumtaxat.

457. IV. Objicitur, S. Augustinus vim saltem judicandi etiam limitatam ad corporea non admittit in brutis; Dicit enim, (1) *Illud in animo humano præstantissimum est, non quo sentit sensibilia, sed quo judicat de sensibilibus..... Nam judicare de corporibus non sentientis tantum vitæ sed ratiocinantis est, qua bestiæ carent, nos excellimus.*

Resp. dist. assumptum. Non admittit Augustinus eam vim limitatam modo, quo exprimit propositio, *nego*: alio modo, *concedo*. Limites in vi judicandi etiam circa corpora possunt esse magis vel minus ampli. Quales admittendi in hac re sint, exprimit propositio, intra quos agnosci ab Augustino vim hanc judicandi in brutis, testimonia supra (n.398.) allata declarant. Transgrederetur hujusmodi limites vis judicandi de corporum vel pulchritudine, vel aliis qualitatibus: & hujusmodi judicia negari brutis in objecto. loco dicendum est.

458. V. Objicitur. Omnes brutorum operationes, quæ judicium quoddam videntur præseferre, proveniunt ab instinctu naturali, qui ut ait Pope (2) nunquam errat, & semper præsto est ad agendum, prout requiritur ad brutorum conservationem: ergo non opus est propter illas fingere in ipsis vim ullam judicandi, & ne cognoscendi quidem. Hanc

(1) Au. de Vera Relig. c. 29. (2) Po. saggio sopra l'Uomo, Letter. 3.

objectionem habet Cartesius, qui loquens de canibus, & felibus, (1) *qui excrementa sua sepulturi terram scalpunt*, hoc inquit, *probat illos id ex instinctu tantum, & de eo non cogitantes facere*: & hac ratione planum se fecisse credit quascunque brutorum operationes nullam præsefer-re ipsorum cognitionem. Argumentatio sane admirabilis, & præter communem sensum, qui in instinctu agnoscit rationem ad inferendam potius, quam negandam facultatem cognoscendi, ut responsio, quam jam affero, melius declarabit.

Resp. igitur *dist. ans.* Proveniunt ab instinctu naturali, hoc est a determinatione, seu inclinatione quadam innata omnibus ejusdem speciei brutis ad operandum certo quodam modo pro certis sensationibus, & inde nascentibus judiciis, quæ satis jam ostendimus fieri a brutis, *conc. ans*: proveniunt ab instinctu naturali aliter accepto, ac modo dicimus, *nego ans*, *& conseqm*. Quoniam tam sæpe incidit mentio instinctus, juvat datam de illo usque ab initio hujus tractatus (n. 7.) definitionem, & sæpius repetitam, particulari quæ sequitur propositione stabilire.



PRO-

(1) Car. Epist. p. 1. ep. 58.

PROPOSITIO XIII.

Instinctus brutorum est determinatio indita ipsorum animæ ad utendum expedite organis sibi datis certo modo pro certis sensationibus quibus afficiantur.

459 Nstinctus non est nomen, quod Peripatetici in physiologiam introduxerint; eo enim usi sunt alii etiam veteres philosophi, & optimi linguæ latinæ auctores: neque est nomen sine sensu; nam passim invenitur usurpatum a sapientibus cujusvis temporis & ab ipsomet Cartesio (n. 258.). Hæc animadvertere placuit contra Coltellinium (1), aliosque Cartesianos qui utramque falsitatem ignaris confidenter obtrudunt.

460. Propositio interea, quæ continet non solum definitionem nominis sed etiam rei, probatur, tum quia clare explicat quid sit instinctus: tum quia per illam redditur ratio omnium, quæ vulgo dicuntur fieri a brutis per instinctum: tum quia eadem a multis aliquo modo proponitur: tum tandem quia definitiones, quæ ab ea longius abeunt, sunt vel falsæ, vel repugnantes, vel obscuræ. Contra duas primas rationes non video, quid opponi possit. Pro tertia ratione, multos scilicet in datam definitionem concurrere sic dico.

461. Imprimis in eam concurrunt veteres Latini, qui nomine instinctus, quod Vossius (2) vult esse verbale ab instigo, significabant impulsionem cognoscenti naturæ inditam. Pro ea est S. Thomas, qui cum dixerit (3) *in brutis esse quosdam particulares instinctus ad quædam opera similia operibus prudentiæ*, hoc inferius sic explicat, (4) *Bruta habent inclinationem naturalem ad quosdam ordinatissimos processus, utpote a summa arte ordinatos, & propter hoc etiam quædam animalia dicuntur prudentia & sagacia.*

462. Flexier de Reval agens de anima brutorum in suo *Catechismo philosophico* (n. 416.) videtur a S. Thoma accepisse suam definitionem (5) *instinctus est inclinatio naturalis ad certas actiones, quæ secum semper habet vim ad eas efficiendas*, quam laudabit quicunque cum eo observet, ut nos etiam supra (n. 283.) advertimus, se ipsum ambulantem conservare ex solo instinctu, nobis etiam ad multas actiones tradito, directio-

(1) Co. Lett. di Racin. pref.
(2) Vo. Etymol. ar. Instigo.
(3) Th. 1. 2. q. 3. a. 6.
(4) Id. ibid. q. 13. a. 2.
(5) Fle. l. 2. c. 2.

rectionem lineæ gravitatis corporis sui intra ipsummet corpus; corruat enim necesse est si extra ipsum cadat, nec subito ad locum suum illam revocet, quod conscius sibi fortasse est non raro obtinuisse conatu quam maximo, & insolitis motibus subito factis sine ulla reflexione nec deliberatione nec libertate, adeoque ex solo instinctu. Inclinatio naturalis respondet judicio brutis a Deo indito, de quo alibi ex dictis (n.400.) S. Doctor loquutus est, quod bruta determinat ad agendum, ita ut ea inclinatio sit vera determinatio.

463. Pro eadem nostra definitione est Alexander Pope, merito magni habitus non solum quia sublimis in suis carminibus, sed etiam quia profundus in suis meditationibus. Hic in suo de Homine specimine (1), brutorum instinctum vocat principium impulsionis, quod ea sine ullo errore nunquam non dirigit in suis operationibus. Dignum philosopho effatum in hac re, de qua ibidem fuse agens plura quidem habet, quæ laudentur, sed non omnia. Etenim si laudes quod dicat in hoc instinctu Deum conspici operantem, in ratione vero humana hominem, vituperes necesse est, quod inde infert, non posse rationem præferri instinctui. Qui ita loquitur, jam instinctum confundit cum ipso Deo, & cum comparationem instituisset inter instinctum & rationem tamquam caussas proximas aliquarum operationum cujusvis animalis tam bruti, quam rationalis, repente eam deserit, aliamque importune proponit inter Deum & rationem humanam, hoc est inter unam caussam remotam, & aliam proximam. Qui præfert rationem instinctui, inhæret primæ comparationi, non secundæ; & sicuti nemo sanus non anteponit caussas liberas necessariis, ita optimo jure quisque rationem præfert instinctui.

464. Est Gauchatus, qui (2) instinctum ait *esse impressionem, quam Creator dedit brutis exercendi actiones omnes necessarias ad sui conservationem*. Impressio, quæ hic idem est ac determinatio est opportunius in hac re vocabulum, quam lex, quod alibi juxta Alphonsum Nicolaum (3) adhibuit, propter quam caussam Guerius (4) hujus modi definitionem reprehendit tamquam nimis vagam.

465. Est Antonius Eximenus, de quo alibi (5) dixi. Ille instinctum definit (6) determinationem inditam naturæ animalis ad utendum organis sibi datis modo opportuno ad sui conservationem. Quæ cum legerim, summopere gavisus sum videns me iisdem ferme verbis hanc rem declarasse.

466. His qui satis aperte definitionem nostram jam ante proposuerunt, alios subiicio, qui eamdem complexi sunt in iis, quas ipsi protulerunt. In horum numero est Cicero, qui sub eodem genere ponit deter.

(1) Po. Saggio. Lett. 3.
(2) Ga. Lett. 12. pag. 276.
(3) Ni. Ragion. vo. 3. Osserv.
(4) Gu. Ani. d. besti. vol. 2. c. 3.
(5) De signis idear. 30.
(6) Ex. Music. l. 2. c. 2. n. 1. in fine.

terminationem inditam brutis ad quasdam actiones instinctui communiter attributas, ac datas ipsis facultates ad sensum & motum, bestiis, inquit præter sensum & motum datus est (1) *cum quodam appetitu accessus ad res salutares, a pestiferis recessus*, & alibi universalius ait (2) *generi animantium omni est a natura tributum, ut se vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur*.

467. Est Gerson, qui apud Joannem Altenstaig (3) dicit *instinctus naturæ est inclinatio fortis rei, competens essentialiter sibi, ex dono Dei ad finem suum consequendum*. Verba prout jacent pertinent ad omnem instinctum etiam hominum, & fortasse imbibunt opinionem peripateticam jamdiu explosam, quæ instinctum admittebat etiam in rebus inanimatis, & aliter vocabat appetitum innatum, nihilominus ea placuit referre quoniam nobis favent, cum omnis determinatio ad aliquid agendum sit inclinatio fortis.

468. Est Storchenaus, qui instinctum dicit (4) *esse certam habitudinem corporis, & organorum comparationem, unde convenientes in cerebro motus ac in anima ideæ existunt, quibus determinantur* ad certas operationes. Video hic determinationem ad operandum commemoratam, quæ per me est id quod primo & principaliter exprimi debuit in ejus notione, non per organa & impressiones in iis factas, quæ sunt inter conditiones ad eam determinationem requisitas & præsuppositas. Similem definitionem habet. Scheffer dicens (5) *instinctus naturalis nomine intelligi oportere habitudinem ex structura totius corporis oriunda, qua certa rerum externarum in sensus impressione facile bruta excitantur, ut cupiditati suæ dextre, & quantum fieri potest citra molestiam obsequantur*, in qua præter cetera, quæ contra superiorem objeci, probari nequit omissam esse mentionem determinationis ad aliquid agendum, quæ dum sermo est de instinctu brutorum, proponi omnino debet. Eadem de caussa non placet definitio Nogheræ (6) dicens, instinctus est ingenita dispositio ad certas apprehensiones & inclinationes. Has ceteroqui retuli, quia in nostram non parum conspirant.

469. Ex hac pariter caussa meminero de doctrina quam uterque Mangold Maximus (7) & Joseph (8) per eadem fere verba tradunt circa instinctum, dicentes esse certam dispositionem ac mobilitatem organi, sensui interno ac phantasiæ destinati, quod dum certas impressiones ope sensuum externorum recipit, occasio est determinatæ cognitionis in anima, & operationum, quæ inde necessario sequuntur. Contra quam habent locum quæ contra superiorem definitionem dixi, & hoc præterea, quod

(1) Ci. 1. de Nat. deo. l. 2.
(2) Ci. de Offici. l. 1.
(3) Al. Lex. theol. ar. instinctus.
(4) St. Psychol. n. 228. in fine
(5) Sch. Cellul. apu. in fin.
(6) No. Riff. 6 su la nat. uman.
(7) Max. Psych. n. 88.
(8) Jos. Phys. part n 183

quod meminisse de organis sensus interni & phantasiæ est proponere ea quæ omnibus ignota sunt, & per multos etiam conficta.

470. Qui velit ideam hujus determinationis pro singulis brutorum speciebus diversæ, in qua consistit eorum instinctus, clariorem reddere dicat cum Benedicto Stattler (1) esse affectionem brutorum animabus innatam, similem habitibus, quos intellectus humanus circa artes & disciplinas per multas reflexiones & repetitas exercitationes paulatim sibi comparat, quam explicationem dicit se accepisse *ex praeclaro opere germanico de praecipuis veritatibus religionis naturalis* Hermanni Reimar Hamburgi impresso anno 1766. Quemadmodum enim homines ope hujusmodi habituum, quos sibi acquisierint, expedite & accurate in illis deinde se exercent sine reflexione aut ulla animi contentione, ita bruta instructa ab ipso ortu facultate quadam ad determinatas operationes singulis necessarias ad conservationem suæ vel vitæ vel speciei, de quibus a circumstantiis certæ alicujus sensationis quodammodo admonentur, eas prompte exequuntur, quin ullam adhibeant vel industriam vel reflexionem; Hæc enim in bruta non cadit, quicquid dicat Condillacus, qui inextricabiles difficultates in se provocavit, quarum aliquas eidem proposuerunt Trevoltiani (2), dum instinctum etiam brutorum definivit habitum aliquid prompte agendi acquisitum per reflexionem ad necessitates quas experiuntur, & nuper urget Eximenus (3), qui etiam observat ipsum vel secum non cohærere, vel hanc circa instinctum sententiam alicubi retractasse. Hoc habituum exemplo utitur etiam Scherffer in hac re (4), qui observans in diversis hominibus licet pari mentis capacitate & membrorum agilitate præditis diversos inveniri, concludit eos dependere a varia etiam minimarum fibrarum constitutione, quæ eorum sensus componit, ex eaque fieri ut ille ad unum musicum instrumentum, alter vero ad aliud habilior sit.

471. Accedat si placet ad hujus rei declarationem quod Bouteautius auctor gallici operis anonymi *Theologus in colloquiis cum sapientibus & magnatibus* laudati a Diario Sapientum ann. 1683. ex professo agens de instinctu brutorum dicit (5) hunc esse internum directorem operationum brutorum similem externis. Sicuti enim eques ita moderatur equum, ut viam teneat opportunam ad certum locum, modo in hanc, modo in illam partem prudenter & artificiose ipsum deflectens, quin unquam eum reddat cognoscentem & intelligentem ea quæ agit: ita instinctus efficit, ut bruta actiones peragant etiam artificiosas, quin tamen eadem instruat aut illuminet aut e genere bestiarum elevet ad rationalium conditionem. Qui apud Campanellam dixerunt (6)
ma-

(1) Sta. Psycho n. 442.
(2) Tr. ann. 1755. ar. 150.
(3) Ex. Music. l. 2. c. 2. n 8.
(4) Sc. de cellul. apum n. 18.
(5) Bou. entr. 1. pag. 7.
(6) Ca. de sensu. rer. c. 8.

magnetem ad polum mirabili instinctu perpetuo dirigi, exhibent aliud exemplum ad declarationem brutorum instinctus, seu eorum determinationis ad quasdam suas operationes, quæ tota est ab externa ipsis caussa Deo eorum creatore, sicuti directio acus magneticæ polum versus est a caussa ipsi externa.

472. Venio ad confutationem earum definitionum, quæ a nostra omnino differunt. Quam Condillacus proposuit absurdam esse jam demonstravimus (n. 470.). Lessius dicens instinctum (1) *consistere primario in dispositione phantasiæ, qua fit, ut ipsa quando res postulat, aliquid ut conveniens aut noxium apprehendat: secundario tum in appetitus inclinatione, tum in quadam dexteritate ac habilitate exequendi*, jam videtur notionem ejus tradere per dispositionem phantasiæ ad certas apprehensiones cum ea appetitus inclinatione, quæ tales apprehensiones consequatur, & habilitate exequendi; At dispositio phantasiæ, & habilitas sunt præviæ conditiones ad instinctum: inclinatio autem appetitus nisi sit loquendo de brutis ejus etiam determinatio ad illi obsequendum nullam ingerit opportunam ideam instinctus de quo agimus. Quam hoc loco Lessius dixit inclinationem, superius (2) appellaverat impressionem rationis divinæ, qui modus loquendi æquivalet determinationi inditæ brutis, & per eam solum ibi instinctum definivit ita ut adnumerari possit inter illos, qui aliquando saltem nobiscum senserunt; sua enim sunt hæc verba *instinctus brutorum sunt impressiones quædam rationis divinæ, & providentiæ, unde ita diriguntur operationes, sicuti ipsa ratio & providentia divina, si animalibus insita esset, vel illis ut instrumentis uteretur*.

473. Peripatetici nullam unquam explicationem attulerunt, ut observavit Bougeantius (3), quæ tolerabilis sit. En quam invenio apud Card. Ptolemæum (4) *Instinctus est veluti nisus & gravitas quædam innata urgens v. gr. agnum ad fugiendum viso lupo*: & infra (5) *Instinctus clarius explicari non potest, quam per analogiam fermenti, quod secundum se minimum, magnum effectum tamen determinat ratione dispositionis materiæ*. Kircher dixit (6) *instinctus brutorum nihil aliud est, quam materialis quidam seu umbrabilis intellectus, vel operatio phantasiæ, qua determinatur appetitus animantis naturalis ad impetum & fugam, ad commodum & incommodum*: quæ definitio non solum instinctum non explicat, sed ipsum obruit omnino per quamdam terminorum contradictionem, qualem præseferunt hæ voces intellectus materialis.

474. Suarez sic ait (7) *Naturalis instinctus nihil aliud est, quam qui-*

(1) Le. de provi. n. 103.
(2) Le. de provid. n. 101.
(3) Bou. Ling. delle best. p. 2. §. L' obiezione.
(4) Pt. Phys. partie. di. 4. se. 2.
(5) Pt. ibid. sec. 3. obi. 2.
(6) Ki. Magne. natu se. 1. c. 2.
(7) Su. Metaph. di. 23. se. 10. n. 14

quidam actus phantasiæ seu æstimativæ ab illa profluens, posito phantasmate talis rei, quo brutum ut humano modo loquar actu judicat hoc esse sibi vitandum, vel prosequendum. Quæ definitio instinctum collocat in genere actuum contra omnium sensum qui illum habent pro quadam animæ facultate, & tribuit organis materialibus juxta philosophiam peripateticam phantasiæ & æstimativæ cognitiones & actiones, quæ non possunt haberi nisi per animas immateriales. Mitto illos, qui apud Sbaraglium (1) dixerunt instinctum idem esse cum appetitu, quem omnibus etiam inanimatis corporibus tribuebant. Nam sensus ipsius vulgi dum nominat instinctum est, significare aliquid, quod convenit solis animalibus. De plantis, mineralibus, machinis, & inanimatis quibuscunque dicimus quidem habere has vel illas proprietates, ex quibus rationem reddimus effectuum, qui ex eorum applicatione sequuntur, non vero ex instinctu. Rideretur certe, qui cicutam aut stibium diceret habere instinctum ad occidendum, & horologia ad horas indicandas.

475. Auctor A. D. instinctum definit esse determinatam dispositionem brutorum machinæ (2), ita ut discrimen nullum intercedat inter brutorum operationes attributas instinctui, & motum uniformem & regularem sagittæ horologiorum (3). At cæcum esse oportet, vel potius mendacem, qui non fateatur motus brutorum esse spontaneos, scilicet nec inchoatos, nec continuatos, nec interruptos, aut aliter commutatos juxta leges mechanicas, uno verbo prorsus diversos a motu horologii.

476. Du Hamel (4) *animalium*, inquit, *instinctus nihil est præter imagines quasdam ingenitas*, & Chambræum pro se citans rem credit se evincere ex eo, quod instinctus *est principium omnium motionum: non movetur autem animal nisi per appetitum, hic prælucentem sibi imaginationem sequitur*. Idem visus est sentire Petrus Papi dicens instinctum esse (5) *notitias ad vitam manu tenendam necessarias*, & nuper David Hume, cujus sunt hæc (6), instinctus res admirabilis, sed nobis inexplicabilis importat cognitiones non acquisitas ab animali per observationes, sed manu naturæ in ipsis productas. His prælusit Melchior Canus (7) dicens instinctus brutorum esse *quasi anticipatas cognitiones fixas firmasque, ut ad bonum naturæ congruens recta ferantur*. Nec ab his multum recedit Sbaraglius, ubi dixit (8) *animalium instinctus non nisi a speciebus innatis proficisci*. Ideas enim innatas etiam ipse includit in ejus notione, etsi congruentius has requirit tamquam quid

(1) Sb. Ani. brut. di. 3. se. 3.
(2) A. c. 14. pag. 109. & 129.
(3) A. c. 19. pag. 177.
(4) Ha de mente l. 2. c. 6. n. 8.
(5) Pa. Sacra crit. tr. 3. sct. 1.
(6) Hu. Essay of reason of animal. sub finem.
(7) Ca. Loc. the. l. 12. c. 15. pr. 4.
(8) Sb. Ani. bru. di. 3. c. 1. se. 4. pag. 372.

quid pertinens ad ipsius originem, non vero tamquam ipsius formam, seu naturam. At quid opus est innatis hujusmodi ideis, quæ nec intelligi nec esse possunt juxta alibi (1) dicta? Nonne satis sunt sensationes excitatæ pro impressionibus factis in eorum sensibus, quæ utique trahent secum quasdam appetitiones, quæ poterunt esse ex illis a Deo Creatore jam determinatis, in quibus diximus consistere instinctum.

(1) De Ideis 580. edit. n. 2.

LAVS DEO.

ERRATA				CORRIGE
Pag.	11	lin. 35	eo	de eo
	50	37	corporibus	corporibus terrestribus
	67	34	btutis	brutis
	69	2	dicit	dici
	106	27	datum	datam
	139	34	fumoso	famoso
	143	4	quibus	de quibus

INDEX RERUM

A

Accidentia absoluta Peripateticorum num. 123.
Acosta Uriellus 259.
Acus conficere multos artifices requirit 334.
Aestimativa potentia animae 104.
Alexander Aphrodisaeus 258. 261.
Amidei Hieronymus 260.
Amphionis fabula 389.
Angeli & animae hominum non sunt solae substantiae spirituales possibiles 159. Discrimen inter angelum & animam 176.
Animae notio. 1. cognoscitur esse, quid simplex 257. a Deo creatur 277.
Anima brutorum arguitur ex sacra Scriptura. 13. mala hujus interpretatio data ab aliquibus 145. arguitur ex doctis & indoctis. 15. ex ipsis Cartesianis sibi contradicentibus 18. ex organis sensoriis brutorum 19. ex ea quae his convenit caussa finali 22. ex ipsorum motibus 27. ex absurdis, quae ea ipsis negata sequuntur. 48.
Anima brutorum spiritus dicitur a Scriptura. 141. 143. a Patribus. 147. a piis & doctis philosophis 153. a bonis omnium linguarum auctoribus 157. talis arguitur ab illorum cognitionibus 163. ab illorum memoria. 164. ab illorum motibus. 162.
Anima brutorum non est Deus 1. 2. non est divisibilis. 170. non est perfectior anima hominis 263. An superstes sit post mortem bruti nescimus 183.
Anima hominis immortalis probatur ex revelatione 212. ex data illi vi cognoscendi 221. ex fine creationis ipsius 222. ex ejus immensa capacitate 223. ex innato augurio immortalitatis 226. ex praemio bonis & supplicio malis debito 233. ex communi consensu 244. Qui dixerint non posse demonstrari immortalem 258. Qui vellent esse mortalem 231. separata a corpore an appetat ejus unionem 256. 261.
Anima in corporibus caelestibus non est 108.
Anima universalis non datur 294.
Ansaldi Castus Innocens 259.
Antiquitatis studium jucundum 119.
Antoniana margarita liber rarus. 5.
Apes 441.
Aranei 442.
Arbitrium brutorum 377.
Architae columba 56.
Areopagus damnat morti puerum 15.
Argens (Marchio de) 269. ejus malus liber 219.
Arionis fabula. 389.
Aristoteles & ratio aut ignorantia non sunt synonima 120. ejus libri a Sylla Romam delati. 262. contraria ipsi philosophia cur olim

da

damnata 122. ipse male usurpatur pro systemate peripatetico 121. An neget immortalitatem animæ contr overſum num. 258.
Arnaldus est contra bruta automata. 17.
Artes bruta an exerceant 279.
Auctoritas Patrum quanti sit in philosophia. 100.
Aves quomodo instruantur ad venandum 361. harum docilitas 347
Augustinus divisibilitatem animæ brutorum non admisit 143. quæ judicia brutis neget. 457.
Aumeur brutis mentem dat 326.
Autocheiria scelus est 236.

B

Barbieri opinio de anima brutorum. 1.
Bayle Petrus 298.
Benedictis (Jo. Baptista de) celatur sub nomine Aletini 114.
Benedictus dell' Uva 234.
Bonitas Dei. 169.
Bonneti Palingenesia 300.
Bossuetus dubitat an bruta sint automata. 12.
Bougeantii opinio de anima brutorum 263.
Bouguerii narratio de serpentibus reviviscentibus 78.
Boullierius laudatus 154.
Bouteautii explicatio instinctus 471.
Brixia (Fortunatus a) male arguit pro brutis automatis 471.
Bruta cognoscunt, imaginantur, judicant, discurrunt aliquo modo, & appetunt 393. Eorum operationes similes nostris 418. quæ sunt ejusdem speciei, eodem modo ubique operantur 337. habent quoddam arbitrium 35. spontaneitatem 377. memoriam 414. loquelam naturalem inter se 35. sed non artificialem 320. 330. quæ ex his pronuncient nostra vocabula 320. vestita & armata naturaliter sunt, quia carent mente 321. eorum motus facile conjiciuntur 335. a nobis occiduntur sine ulla culpa 290. Omnia simul creata dixit Leibnitius 100. Pervicaciæ illorum causa 375.
Bruta non cognoscunt insensibilia 333. nec spiritualia 311. nec ullam pulchritudinem 380. non habent cognitionem Dei 311. nec intellectum 320. Errarunt qui hunc illis tribuerunt 292. non operantur propter finem 343. nulli animali dominantur 314. non habent liberum arbitrium 336. 367. neque hoc debuerunt habere 371. nec præmium nec pœna illis convenit 379. nec pœnam pro male factis proprie timent 363. non habent virtutes nec vitia 378. nec scientiam ullam nec artem sibi comparant 278. 309. 334. 350. non astrologiam 350. non arithmeticam 332. non cogitant de futuro 310. non faciunt ideas universales 362. non sunt miseræ 168. non reviviscunt 78. nisi per miraculum 197. Qui dixerint post mortem habitura vitam felicem 167.
Buffierius pulchrum credidit cognosci a brutis. 382.
Buffonii opinio de anima brutorum 7. & aliæ ejus absurdæ opiniones 410.

 Ca-

C

Cadonicus Joan. num. 339. inepte arguit contra Bougeantium 275
Cajetani Card. de animæ immortalitate opinio 259.
Caligola equum consulem declarat 333.
Calmet Augustini laus 192.
Cardanus Hieronymus 259. 298
Canis proprietates 435. ostendit se cognoscere 28. 30. 32. 33. 39. ab odoratu magis quam a visu movetur 387. Canis Chrysippi 357.
Cartesianismi tessera est habere bruta pro meris machinis 12.
Cartesius negat brutis animam 10. 11. Credit sic se favere religioni 117. & nos non esse reos illa occidentes 181. spem tamen & metum & lætitiam in ipsis admisit 359. aliæ ipsius contradictiones 44. 452. Mala ejus ratiocinia 34. 64. 67. 76. male de instinctu cogitat 458. abutitur nomine mentis pro anima 10.
Cervi industria 439.
Chambre pulchra credit cognosci a brutis 383.
Chaumeix malum ratiocinium pro brutis meris machinis 79.
Cognitiones materiales & machinales repugnant 111. 112.
Collinsius negat immortalitatem animæ 245.
Coltellinius abutitur S. Augustino 166. instinctum dicit esse nomen sine sensu 459.
Columbus amans musicæ 388.
Condillacus 417. bene sentit de anima brutorum 305. ejus definitio instinctus 470.
Consensus universalis non datur in falsis 247.
Contarenus Gaspar Card. laudatus 260. non dat liberum arbitrium brutis 376.
Columbarum usus in obsidionibus 446.
Corpus inter & spiritum nihil medium 139.
Corruptio compositi 129. 130.
Creare male explicant Peripatetici 98.
Crocodili caput recisum diu vivit 172.
Cudworthii opinio de anima brutorum 158.
Cynegetice 347.

D

Dædali statuæ 56.
Dæmones diversi ordinis 265. hi non sunt anima brutorum 272.
Dalembertius 303. ejus objectio contra animas brutorum spirituales 166.
Dalhamus negat brutis memoriam 449. miratur esse qui dicant esse meras machinas 17.
Delirium datur in brutis 356.
Demonstratio non datur de mortalitate animæ brutorum 195.
Deus præmium aut pœnam dat in alia vita 236. 241. An possit efficere ut bruta sint meræ machinæ 71.
Diabolus deceptor Evæ 273.
Dictionarium historicum malum 256
Diderotii ratiocinia 65. 68.
Dittonius 47.
Docilitatis notio 348.
Dodwellus negat immortalitatem ani-

animæ num. 245.

E

Ecclesiastes spiritum jumentis tribuit 143. Eius sententia de immortalitate animæ 250.
Eductio formæ substantialis ex materia est absurda loqutio 108. 109.
Egoismus sequitur ex negata brutis anima 52.
Elephanti 424.
Epicuri ætas 217.
Epicurei sunt moribus corruptis 226. 239. immortalitatem animæ nollent 245. aut negant 220.
Equi ostendunt se cognoscere 31. eorum docilitas 347.
Estii argumentum pro mortalitate animæ brutorum 194

F

Fabri Honoratus ignem dicit esse animam brutorum 82.
Feles sagaces sunt 434.
Ferarum in cavendis periculis industria 429.
Fiandinus Ambrosius 260.
Finis cognitio alia perfecta, alia imperfecta 346. Hic non intenditur a brutis 342.
Finis creationis brutorum 178.
Flexier de Reval 416.
Foramen ovale 92.
Formæ materiales peripateticorum non dantur 106. 124.
Formejus incertam dixit esse immortalitatem animæ 219.
Formicæ cognitionem habent 38. non horrea 281.
Frassen est contra bruta automata 17.

G

Galli cum serpente pugna 437.
Gallinarum lexicon 37. earum sollicitudo pro suis pullis 421.
Gauchatus negat Scripturam tribuere animam brutis 142. nolens admittit cognitiones in brutis 163. non videt quid theologus dicat contra bruta ut meras machinas 53. ejus de instinctu sententia 454. & de occisione brutorum 180.
Gemitus quid sit 420.
Generatio compositi 124. 139.
Gersonis definitio instinctus 467.
Gherardini Gaspar 416.
Gigantomachia 267.
Gilius senior & junior 202. 286.
Grand (Antonius le) sibi contradicit 18.
Grotii opinio de anima brutorum 263.
Guilleminot tenet cognitiones materiales 115.

H

Helvetius stolida dicit bruta, quia habent ungulas corneas 352. ejus liber de Spiritu 301.
Hildropins 192. 266. brutis vitam felicem post mortem auguratur 167.
Hirundinum cognitio 36.
Homo cur rudis ab ortu 382. dominatur brutis 314. 323.
Horologia admiranda 63.
Hutcheson pulchra credit cognosci a brutis 382.

I

IGnis non est anima bruti num. 80.
Immortalitatis varii sensus 185. illa Dei qualis sit 255. animis nostris qui eam negent 183. bonos mores inducit ejus persuasio 219.
Insecta multiplicata per divisionem 170.
Instinctus notio 459. ille pertinet ad facultatem, non ad actum 474. non bene explicatur a peripateticis 473. nec per ideas innatas 476.
Judicium naturale, & judicium rationis 400.
Justitia Dei 169.

L

LAcrymæ an sint in solo homine 420.
Lactantius non admittit mentem in brutis 342.
Lascaris Guarini definitio juris naturæ 297.
Leibnitius negat omne judicium brutis 443 negata ipsis immortalitate dicit negari posse etiam nobis 211. metamorphosim per mortem dicit illis contingere 100.
Leones grati 426.
Lessii opinio de instinctu 472.
Lex Mosaica cur de solis bonis temporariis meminit 216.
Linnæi zoologia 307.
Locke 417.
Loquela naturalis & artificialis 35. illa brutorum non est artificialis. 42. admissa in illis etiam a Ss. Patribus 47.
Lumbrici multiplicati per sectionem. 175.
Luporum calliditas 430.
Lusciniarum docilitas 347. 349.

M

MAchinæ notio 26.
Mahatazel secta quædam philosophorum 167.
Maimonides Doctor Hebræus 167.
Malebranche male usurpat sibi S. Augustinum 95. ait & negat bruta moveri a solo Deo 26.
Mangoldi definitio instinctus 469.
Manus sunt ministræ mentis 318. sine mente nulla sunt earum officia 316. suppleri possunt ejus officia per alia membra 319.
Materia tenuissima non est anima brutorum 88.
Materialismus negat animam nobis & brutis 504. hic sequitur negatam brutis animam spiritualem 48. 113.
Mazinus Jo. Baptista 414.
Medicinas norunt bruta 280.
Memnonis statua 59.
Memoriæ notio 444. alia imaginativa, alia intellectualis 451. est in brutis 103. sed de tristibus labilis 448.
Metempsychosis in brutis non repugnat 193. qui eam admiserint 203. qui etiam in hominibus & quidem in corpora brutorum admiserint 293. 295. 296.
Mettrie negavit immortalitatem animæ 211.
Militarem artem exercent bruta 278.
Montagne Michael 259. 299 admisit libertatem in brutis 367.
Mors est pœna peccati 214.
Mortuorum apparitiones 253 cur raræ 254.

Morus Henricus dicit se intelligere bruta esse puras machinas. n. 34.
Motus brutorum est argumentum eorum animæ 162. motus caussa in partibus animalis amputatis 171.
Moyses cur de bonis solum temporariis meminit in lege 216.
Muli calliditas 425. mulus Thaletis 358.
Muscæ diu vivunt truncato capite 172.

N

Needhami de anima brutorum opinio 137.
Negri Franciscus 330.
Nidi constructio 66. 67.
Nihiliex nihilo interpretatio 107.
Nogarola Thāddæus 220.

O

Olaus magnus nimis credulus 330.
Ornithotira 347. 438.
Orphæi fabula 389.
Ortus & interitus Peripateticismi 119.

P

Palingenesia Empedoclis & Bonneti 300.
Pallavicini de anima brutorum sententia 153.
Papi Petrus putat ex materia fieri posse spiritum 155.
Pardies Ignatius 6.
Paroni liber de anima brutorum 87.
Pascha pro agno 272.
Passerum calliditas 439.
Passionis notio 453. habet prævia... cognitionem 452.
Patres brutis tribuunt cognitiones 398.
Peccati comes tristitia 242.
Pereira Gometius bruta dixit esse automata 5.
Peripatetici juxta aliquos nunquam admiserunt animas brutorum materiales 135. 136. eorum doctrina de formis substantialibus 97 ipsi nondum defecerunt omnino 152. epocha & finis illorum philosophiæ 110. 119.
Perturbationes seu passiones habent bruta 422.
Phaniasia, seu vis imaginativa 103.
Phærecides primus philosophice egit de immortalitate animæ 246.
Pherecrates fuit materialista 4. 49.
Philosophia opus est in omni scientia 152. illa brutis tribuit cognitiones 402.
Philostratus mendax homo 293.
Pigritia quadrupes 286.
Plinius negat immortalitatem animæ 249.
Plutarchus num brutis dederit rationem 294.
Polignac Cardinalis 260.
Pomponatius Petrus 258. 260. ejus philosophia malos mores induxit 239.
Poncius Julianus 306.
Pontanus Hieronymus 136.
Pope opinio de instinctu brutorum 458. 463. de occisione 181.
Porci a dæmoniis in mare projecti 265.
Productio juxta peripateticos 99.
Providentia Dei est arcana 214.
Providentiam non habent bruta 280. 281.

Providentia brutorum num. 397.
Psittaci dotes 439.
Pueri ostendunt sibi datam mentem 322. 331. 332. 391. cur lente grammaticam apprehendant 450.
Pufendorffius negat demonstrari animæ immortalitatem 259.
Pulchri cognitio requirit intellectum 385.
Pyrrhonismus sequitur ex negata anima brutis 55.
Pythagoras ex athleta philosophus 246.

R

Racines Ludovicus horologiis comparat bruta 62. abutitur s. Augustino 166.
Ratio quid sit 410. 456.
Ratiocinium brutorum 415.
Raynal Gulie. Thomas 302. ejus censura 303.
Redii experimenta de brutis reviviscentibus 78.
Regiomontani aquila volans 56.
Reminiscentiæ notio 417.
Respiratio non datur in foetu 92.
Revelatio datur de animæ nostræ immortalitate 212. non vero de illa animæ brutorum 191. qui hanc revelationem negaverint 217.
Resurrectionis dogma incitamentum est ad bonam vitam 240. illud infertur etiam ex innato augurio immortalitatis 229. & ex bene & male factis 235. 245.
Risus an homini soli conveniat 419.
Rorarius Hjeronymus 269.
Rousseau J. Jacobus 297.

S

Sanguis virium fons est 91. non est anima brutorum 84. 91.
Sapientia brutorum 396.
Saverieni historia 60.
Sbaraglius non dat liberum arbitrium brutis 376.
Scherfferi definitio instinctus 468. 470.
Scientia nulla est in brutis 282. 284.
Scripturæ Sacræ usus in omni scientia 14. ea tribuit brutis cognitiones 392. non dicit esse materiales eorum animas 193. negat habere intellectum 327. 341. qui ea abutantur pro brutis meris machinis 165.
Sebastianus (Pater) machinator 61.
Sensus esse potest sine mente 364.
Sensus communis an sit organum quoddam 102.
Sensus interni quot sint 105.
Serpens deceptor Evæ an loquutus sit voce humana 41.
Servos & ancillas num Scriptura vocet jumenta 143.
Simiarum calliditas 433. illæ imitantur actiones hominum 317.
Similitudo hominis cum Deo 212.
Spiritualis substantiæ definitio 131. qua talis est, immortalis etiam est 220.
Spirituale non connectitur cum intelligenti 366. nec cum immortali 184.
Spiritum inter & corpus non datur ens medium 139.
Spiritus animales non sunt anima brutorum 87.
Spiritus fortes Aristoteles dixit stultos 220. Spi.

Spiritus iners nequit esse, sed otiosus potest esse num. 101.
Spiritus S. sub specie columbæ 272.
Spontaneitas brutorum quid sit 377.
Stattler explicatio instinctus 470.
Steele Richardus 224.
Stoicorum definitio passionum 422.
Storchenaus spirituales animas brutis tribui non improbat 153. Definitio quam dat de instinctu 468.
Stupiditas hominum qualis 353.
Substantiæ spirituales animis hominum minus perfectæ possunt creari a Deo 159.

T

Thnetopsychitæ 245.
Tomæ (S.) ortus & interitus 151. ille usus est philosophicis opinionibus sua ætate communibus 100. Idem docet animam brutorum esse spiritum 150.
Trembleii observationes de insectis multiplicatis per divisionem 170.
Typhonis fabula 267.

V

Valla Laurentius 299.
Vaucassonus machinator 61.
Vestium varietas 334. 337.
Villars (Abbas de) 268.
Virtus suum præmium non habet in hac vita 238. 241.
Vis ratiocinandi notio 410.
Vitæ notio 92. longa vita data aliquibus brutis 322.
Vitium non habet hic parem pœnam 233. 242.
Ulpiani definitio juris naturalis 292.
Uniformitas in brutorum operationibus 65. 70. 372.
Unitas non est objectum sensibile 332.
Unum per se, & per accidens 125. 126.
Voltaire revelatam a Christo solum dicit immortalitatem animæ nostræ 217.
Voluntarium imperfectum brutorum 401.
Uva (Benedictus dell') insignis poeta 234.
Vulpes Thraciæ 359.
Warburton negat immortalitatem animæ doceri in Vet. Test. 218.
Willis Thomas ignem dicit esse animam brutorum 81.

Y

Young Eduardus nobilis poeta 224.

FINIS.

